COMMENTATIO
DE
HYMNORVM HOMERICORVM
RELIQVIIS.

AVCTORE

GOTTFR. ERNESTO GRODDECK.

A. M.

GOTTINGAE

TYPIS JO. CHRIST. DIETERICH.

MDCCLXXXVI.

VIRO

MAGNIFICO. GENEROSO

MICHAELI. GRODDECK

GEDANENSIVM. CONSVLI

GENERE. VIRTVTE. MVNERE

AVCTORITATE

INSIGNI

LIBELLVM. HVNC

MAXIMAE. REVERENTIAE

PIETATISQVE. PIGNVS

SACRVM. ESSE. VULT

AVCTOR

Inter pauca antiquiſſimorum carminum ad Deorum virtutes et facta celebranda conditorum monumenta, e communi tot ſcriptorum naufragio velut ſeruata, *Homericorum*, quos dicunt, *Hymnorum* reliquias principem locum tenere, vix diffitendum eſt. Etenim vt omittam, etiamſi *incerti auctoris et aetatis* hymnos, *Orpheo* vulgo adſcriptos, excipias, vix vllos reperiri Homericis his, certe magna eorum parte, antiquiores: id tamen, multa ac diligenti eorum lectione ipſe edoctus, tuto affirmauerim, nullos, quotquot ex tota antiquitate ad nos quidem peruenerint, maiorem redolere priſci aeui ſimplicitatem, nullos dictionis velut natiua venuſtate, ac mirifica ad Homerici ſermonis dulcedinem proxime accedente ſauitate, legentis animum aeque afficere atque delinire *a*). Accedit, quod, qua fatali doctisque viris dudum deplorata ſorte ipſe diuinus poeta, cuius nomen Hymni prae ſe ferunt, vel in noſtra hac literarum luce premitur, quippe nulla adhuc idonea ſatis ac tanto poeta digna, ſiue criſi ſubactus, ſiue enarratione ornatus inſtructusque: eamdem et aliquanto grauiorem HymnorumHomericorum reliquiis, quotquot fere tempora noſtra attigere, accidiſſe videas. Nec in totum quidem contextui hym-

a) „Nihil ex omni antiquitate ſupereſt, quod auream illam Homeri „ſimplicitatem natiuamque elegantiam referat planius.„ *Ruhnkenii* V. C. verba ſunt in Ep. Crit. I, p. 4.

hymnorum, innumeris, vt ita dicam, confecto vulneribus, medicas adhibere manus abnegauerunt Critici; imo vero ad reſtituendam pulcerrimorum carminum antiquam faciem praeclara haud dubie adminicula, vt Martinos et Barneſios taceam, ſummi illius inter Batauos florentis viri, *Ruhnkenii*, ingenium et doctrina paene incredibilis contribuit *b*). Enimuero ea et in ſingulis modo locis, nec in his tam frequenter adhibita ſunt, quam vel horrenda vitiorum ſeges requirere, vel a tanto Viro quisque harum literarum cupidus ſummo deſiderio exigere velut iure quodam ſibi videri poſſet; quanquam, quod alii, quorum eſt de his rebus iudicare *c*), iam monuere, Ruhnkenius autem plus ſemel faſſus eſt, in Hymnis his loca paſſim occurrunt adeo miſere turbata, ac Grammaticorum librariorumue aut inſcitia aut conſilio interpolata atque corrupta, vt non modo a libris parum auxilii exſpectandum, ſed vt, vlla Critici quamuis diuini arte vmquam feliciter ſatis ſanari ea poſſe, prorſus deſperandum ſit. — Quae cum ita ſint, cumque virium mearum periculum facere, ſtudiique in literis his collocati ſpecimen aliquod edere mihi propoſitum ſit, non inutilem plane operam ſuſcepturus mihi videor, ſi, nonnullis, *quae ad Hymnorum Homericorum auctores, argumentum, nominis rationem, huius* denique, quam terimus, *collectionis naturam et indolem generatim ſpectant*, delibatis capitibus, tum *in ſingulos Hymnos et fragmenta* accuratius inquiram, his tandem *obſeruationes quasdam ad duorum*, qui inter integriores habentur, *hymnorum loca*, aut ſuſpecta aut paullo difficiliora, ſpeciminis loco ſubiungam.

b) in Epiſtola Critica modo laudata, ad calcem Hymni in Cererem. Lugd. Batav. 1782. 8.

c) cf. Wolfium V. C. in praefat. ad Homeri Odyſſ. p. 16.

Sectio

Sectio I.

De Hymnorum Homericorum reliquiis generatim ſpectatis *).

Quo laetiſſimo animi affectu priſci homines primum ad feſtos dies celebrandos ferebantur, nimirum vt Diis pro acceptis beneficiis, ſiue reportata de hoſtibus victoria, ſiue larga frugum meſſe, ſiue aliis qualibuscunque bonis gaudentes, grati animi ſenſa ſignificarent *d*): eumdem in his ipſis ſacris obeundis ad clamores, cantus, carmina denique, concitaſſe homines incultos ac barbaros, ipſa rei natura ingeniique humani indoles ſatis ſuperque docent. Acceſſit forte alia ratio, vt omnium omnino religionum, ita hymnorum origini, communis, quod Deorum, quorum vim ac potentiam experti erant, metu ducti mortales, vitae ſuae commodis conſulere ſe non poſſe arbitrarentur, niſi, propitia ſibi numina eſſe, maxime perſuaſum haberent. Iam cum, quae fuit rudis illa mentisque

*) Semel monendus lector, in laudandis Hymnis Homericis ſequi me nouiſſimam eorum editionem a *Wolfio* V. C. nuper (ad calcem *Odyſſeae*) vulgatam (1784) in qua praeter *Hymnum in Cererem* e cod. Moſc. editum, acceſſere *duo in Bacchum Hymnorum Fragmenta*, XXVI - XXVII. quorum alterum ex eodem codice erutum, alterum, a Diodoro ſeruatum, adhuc inter Homeri Fragmenta latuit.

d) Ariſtoteles Ethic. ad Nicom. VIII. c. 9. αἱ γὰρ ἀρχαῖαι θυσίαι καὶ σύνοδοι φαίνονται γίνεσθαι μετὰ τὰς τῶν καρπῶν συγκομιδὰς, οἷον ἀπαρχαί· μάλιςα γάρ ἐν τούτοις ἐσχόλαζον τοῖς καιροῖς. Strabo l. X. p. 467. Caſaub. Κοινὸν τοῦτο καὶ τῶν Ἑλλήνων καὶ τῶν Βαρβάρων ἐςὶ, τὸ τὰς ἱεροποιΐας μετὰ ἀνέσεως ἑορταςικῆς ποιεῖσθαι, τὰς μὲν μετ' ἐνθουσιασμοῦ, τὰς δὲ χωρίς· καὶ τὰς μὲν μετὰ μουσικῆς, τὰς δὲ μή· καὶ τὰς μὲν μυςικὰς, τὰς δὲ ἐν φανερῷ. καὶ τοῦθ' ἡ φύσις οὕτως ὑπαγορεύει. cf. Marsham in Can. Chron. ſec. IX. p. 193. ed. Lipſ.

humanae imbecillitati accommodata Deorum notio, Deos, etſi vi praeditos maiori, ſibi tamen ſuaeque indoli ac naturae ſimiles fingerent mortales: factum eſt, vt, quod hominum animos aut ad beniuolentiam allicere, aut iratos placare ſolere cognouerant, id propterea ad Deorum cultum ac religionem transferrent. Ad vnum, vel alterum, vel vtrumque harum cauſarum genus reuocanda videntur tum ipſa ſacrorum inſtituta, feſti dies, pompae, ſacrificia, ſupplicationes, luſtrationes, expiationes; tum mos ille cunctis fere vniuerſi terrarum orbis gentibus aeque ac *Graecis* receptus, *carmina in Deorum laudem* compoſita, inter ſacra peragenda, accinente muſico inſtrumento, decantandi; quae quidem carmina ſiue *hymni e*), primum

e) Propriam hanc, quam attuli, ὕμνου ſignificationem eſſe, tum carmina ipſa ſic appellata, tum Grammaticorum effata docebunt. Schol. Sophocl. Elect. 385 ὕμνος κυρίως ἡ εἰς θεὸν ᾠδή. Procl. in Chreſt. ap. Photium Cod. 239. p. 522 καὶ εἰς θεοὺς μὲν ἀναφέρεσθαι ὕμνον. Quo reſpectu hymnis opponi ἐγκώμια monent Grammatici, vtpote quibus *hominum* laudes celebrentur. v. Ammon. περὶ ὁμοίων etc. v. ὕμνος. Procl. l. c. Ceteras minus vſitatas huius vocabuli notiones, quae in ſcriptoribus, maxime poetis, paſſim obſeruantur, diligenter congeſſit b. Krieſius in diſſertat. De Hymnis Veterum maxime Graecorum. Gotting. 1742. p. 3 ſqq. — Quod dixi *inter ſacrorum ritus* hymnos decantari ſolitos, id de tota pompa Deorum feſtorumque celebratione intelligi cupio. Nam vel in *ipſo ſollemni ad aras ſ. templa greſſu acceſſuque* hymni canebantur, vnde peculiare eorum genus προσόδιον appellatum eſſe legimus ap. Procl. l. c. Porro *inter libationes*: Callim. H. in Jov. pr. Ζηνὸς ἔοι τί κεν ἄλλο παρὰ σπονδῇσιν ἀείδειν; quin etiam ſacrificio epulisque ſacris rite iam peractis v. Hom. Il. α′ 469-73. Nec in his quidem ſubſtitit hymnos canendi mos, ſed in priuatis etiam amicorum familiariumue conuiuiis ἀοιδοὺς arceſſitos eſſe vides, qui inter epulandum carminibus ad citharae modos decantatis Deorum laudes celebrarent. v. Hom. Od. α′ 338. Athen. V, p. 192. πᾶσα δὲ συμποσίου συναγωγὴ παρὰ τοῖς ἀρχαίοις τὴν αἰτίαν εἰς θεὸν ἀνέφερε, καὶ στεφάνοις ἐχρῶντο

mum *inconditi* (αὐτοσχεδιάσματα Graeci vocant), mox a vatibus, ipſo numine velut afflatis, ſummo ſpiritu concepti, et coram ſolemni coetu, ad numinum aras templaque adſtante, recitati ſunt. At temporis ſucceſſu carminibus his tantum honorem tributum eſſe ſcimus, vt illa *antiquiſſimis poetarum certaminibus* materiem ſuppeditarent *f*). Vnde vel explicari poteſt, quod vates remotiſſima aetate florentes, quorum, praeter nomina, nihil certi ad tempora noſtra peruenit, *Olenem* dico *Lycium*, *Pamphum*, *Philammonem*, *Orpheum*, *Muſaeum*, *Thamyrim*, omnes hymnis condendis vacaſſe perhibentur *g*). Horum vatum igitur ſeu *vera*, ſeu, quod magis arridet, maximam partem *nomen* tantum *auctoritatis captandae* cauſa *mentita*

ἐχρῶντο τοῖς οἰκείοις τῶν θεῶν, καὶ ὕμνοις, καὶ ᾠδαῖς. Enatum inde peculiare lyricae poeſeos genus, nempe σκολιὰ, quae a Schol. Ariſtoph. Ran. 1337. Veſp. 1231. finiuntur τὰ παροίνια ᾄσματα, quorum nonnullis idem cum hymnis argumentum fuiſſe conſtat. v. fragm. hymni inter Scolia ab Athenaeo ſeruatum l. XV p. 694. cf. Petit. Miſcell. l. VII c. 5 p. 159. Klotz de carminibus bellicis ad calc. Tyrt. p. 237.

f) Pauſan. X, 7. p. 813 Kuhn. ἀρχαιότατον δὲ ἀγώνισμα γενέσθαι μνημονεύουσι, καὶ ἐφ' ᾧ πρῶτον ἆθλα ἔθεσαν, ᾆσαι ὕμνον ἐς τὸν θεόν. cf. epilogum Hymn. Hom. in Venerem (V) (quanquam *huic* carmini a ſeriori manu haud dubie adſutum, de quo infra pluribus diſputabimus):

χαῖρ' ἑλικοβλέφαρε, γλυκυμείλιχε· δὸς δ' ἐν ἀγῶνι
νίκην τῷδε φέρεσθαι, ἐμὴν δ' ἔντυνον ἀοιδήν.

g) *Olen* et *Pamphus* antiquiſſimi Graecorum et Athenienſium ὑμνοποιοὶ v. Pauſan. pl. ll. v. c. IX, c. 27 p. 762. c. 29. p. 767. c. 35. p. 780. De *Philammone* et *Thamyri*, Phil. filio, Delphis in hymnor. certamine palmam conſecutis v. Id. l. X, 7. p. 813. *Muſaei* Hymnus in Cererem ab eodem laud. l. IV, 1. p. 281. *Orphici* Hymni ap. Plat. de Legg. VIII p. 829 ed. Steph. et Pauſan. IX, 30. extr. Add. quae de hor. carminibus, deque *Anthis* ex *Boeotia* oriundi hymnis diſputat Plut. de Muſica T. II. p. 1132 A. ed. Francof.

tita carmina, primum a poetarum aequalibus posterisque, mox a certis ad munus hoc obeundum sine dubio delectis *ἀοιδοῖς h*), memoriae tradita, adeoque ore ac voce ad posteritatem propagata, postquam, scribendi arte inuenta et crebrius adhibita, literis consignata erant, in templis antiquae maxime religionis v. c. Deliaco atque Delphico, conseruabantur *i*); auctus tamen in dies eorum numerus, cum noui subinde hymni a sequioribus poetis conderentur; inter quos memorare illos sufficiat, qui, vt a viris, publico ciuitatum munere ad templa vel oracula inprimis celebria missis, (*θεωροῖς*) canerentur, facti esse narrantur *l*).

His praemissis, quid de Hymnorum seu fragmentorum, quae *Homerum auctorem* venditant, congerie nobis statuendum sit, munita iam et patefacta videtur iudicandi via. Ea partim eiusmodi hymnorum, quales modo descripsimus, reliquias haberi posse ac debere, statim in oculos incurrit. Alterum vero hoc, vtrum ab *Homero* profecta sint, necne, vt rationibus sedulo expensis, decernamus, nonnulla vulgo omissa aut neglecta hic praemittenda videntur.

Primo

h) Dicti sunt viri munere hoc functi *ὑμνῳδοὶ* et *συνῳδοὶ* v. Spanh. ad Callim. H. in Iov. pr. eique tanta honoris opinio adhaesit, vt vel ciuitatum primores illud obire haud dedignarentur. Id quod inscriptione veteri ap. Spon. Misc. p. 354. a Spanhem. ad Call. l. l. iam allata, palam fit, vbi nempe Oenomaus quidam ΠΡΥΤΑΝΙΣ ΚΑΙ ΥΜΝΩΔΟΣ simul dicitur.

i) Memorandi hoc loco *Olenis Lycii* Hymni in Deli insula asseruati quorum magna ob antiquitatem celebritas. v. Herodot. IV, 35. Callim. H. in Del. 305. Pausan. I, 18. p. 42. VIII, 21. p. 639. Ad eosdem Hymni Homerici auctorem respicere, in Apoll. I. vs. 147. 150. 157-60, verisimile fit. cf. Spanhem. ad. Call. l. l.

l) Meminit talis hymni s. paeanis Deliaci Ceis concinnandi Pindarus Isthm. I, pr. vbi v. Ill. *Heynii* nota.

Primo quaeſtio haec modo propoſita, videndum eſt, ne cum alia prorſus diuerſa, annon Homerum, ceterorum tum ſuae tum antiquioris aetatis inſtar poetarum, hymnos feciſſe, conceptosque publice cantaſſe veriſimile ſit, confundatur. Hoc enim vt neget, nemo ſibi ſumat, etiamſi hymnos, qui nunc ſub Homeri nomine exſtant, ei abiudicauerit *m*). Cum porro, ſi vel maxime Homerum auctorem hymnorum agnoſcimus, tamen illo ſeriores multo vixiſſe, qui eos tum literis conſignarent, tum in hoc, quod verſamus, volumen colligerent, confitendum ſit; cumque, quam inconſulto ac temere hoc plerumque factum ſit, multis aliunde conſtet exemplis: ſatis inde patere arbitror, in tota hac quaeſtione nil *vniuerſe* tuto pronuntiandum eſſe. Accedit quod inter *quatuor* et *triginta* carmina — tot enim in volumine hoc nunc continentur — vix quinta pars pro integris habenda, reliqua omnia et manifeſte aliorum carminum fragmenta ſunt, et inter haec non pauca trinis, aut quod excurrit, verſibus, poematii deperditi initium modo, modo finem referunt, adeo vt horum auctor Homerus, an alius qualiscunque poeta fuerit, ſcire parum interſit. Redit igitur omnis diſputatio ad integriora illa carmina, numero admodum pauca. In quo ſi de cuiusuis auctore certi quid ſtatuere velimus, *duplici* ratione res confici poterit. Nam *aut* inſpiciendi ſunt veterum ſcriptorum libri, inque his ea loca, in quibus hymni alicuius, addito auctoris nomine, meminerint, diligenter excutienda: *aut* attendendum, num ex orationis, qua vtitur hymnographus, proprietate atque colore elici quid poſſit, quo ſiue Homerum, ſiue alium prodere ſe auctorem probemus. Ab hoc vt

 initium

m) Imo Homerum hymnos vere condidiſſe, eo coniici licet, quod veteri poetae dicitur κοίρανος ὕμνων ap. Suidam v. Μαιονίδης.

initium faciam, quamquam, excepto magno vocabulorum numero, quae in Homeri ſcriptis, Iliade et Odyſſea, fruſtra quaeſieris, dictionem hymnorum Homericae ſimillimam eſſe, nemo inficias ibit: huic tamen rationi, quatenus inde ſtatim Homerum hymnorum auctorem pronunties, tantam vim ineſſe tuto negauerim. Inter omnes enim harum literarum peritos conſtat, contigiſſe Homero, vt Graeci omnis aeui poetae, ne recentiſſimis quidem exceptis, eius effigie ac ſpecie eximia animis penitus infixa, omnem poetici ſermonis formam, cultum ac numerum ad illius exemplar componerent; nec, niſi vatis antiqui velut numine afflati, canere viderentur *n*). Iam alterum, *teſtimonia ſcriptorum*, quod attinet, niſi forte in re tam antiqua quicquam auctoritatis vel fidei iis tribuendum eſſe omnino dubitemus, certe ea ſolum in cenſum admitti poſſunt ac debent, quorum auctores Homeri aetatem proxime attigerunt, nec eadem tamen ipſa latiori ſenſu adhiberi, quam ipſa verba inferant. In his, ne cuidam fuiſſe videar iuſto prolixior, ſane mihi verendum eſſet, niſi eorum, qui de Hymnis Homericis iudicauere, tantam in opinionibus ſententiisque diſcrepantiam ex eo fere vnice repetendam eſſe animaduerterem, quod nec diuerſorum hymnorum, nec teſtium diuerſae plane auctoritatis vllam rationem habentes, e ſingulis indiciis documentisque ad totum hymnorum complexum, Homero ſiue addicendum, ſiue, tanquam ſubditum partum, reiiciendum, nimis feſti-

n) In quo vel vnius *Quinti Smyrnaei*, ſub Imperatoribus Romanis demum florentis, exemplo commemorando defungar, cuius in elocutione virtutes, ad Homericae dictionis praeſtantiam proxime adſurgentes, meritis nuper laudibus extulit *Tychſenius*, eminentis ingenii pariter ac doctrinae Vir, in docta Commentat. de Quinti Smyrnaei Paralip. Homeri, p. 10. 22.

festinanter properarunt *o*). Nostrum iam erit in ipsa veterum auctorum loca, saltem potiora, (nonnullorum enim vt Stephani Byzantini, qui hymni in Apoll. versum sub Homeri nomine laudat v. Τευμησσός: Auctorum de Vita Homeri, Herodoto falso adscripta, et Certaminis Hom. et Hesiodi: Suidae denique, aut nulla est auctoritas, aut tam exigua, vt eos consulto omittam) quibus vtuntur, qui Homerum auctorem hymnorum esse iudicant, accuratius inquirere. Hic qui primus nominetur, tum ob aetatem, qua vixit, tum ob summam in scribendo dexteritatem ac fidem, dignus existimabitur *Thucydides* Is Historiar. l. III, c. 104. ad *Hymnum in Apollinem*, addito auctoris, nempe Homeri, nomine, prouocans, tredecim eiusdem versus apponit, qui in Hymnorum libris adhuc leguntur: Vs. 146 - 150. 165 - 172. Ex eodem Hymno versum 189, et ex altero in *Bacchum*, cuius fragmenta habemus, aliquot versus laudat *Diodorus p*).

 Tan-

o) Conferas modo, quae ap. Fulv. Vrsinum leguntur in Virgilii c. Scr. Gr. collat. p. 45 ed. Valken. „Nec enim, inquit, vllo vnquam pacto persuadere mihi potui, hymnos illos Homero tribuendos esse, cum aliis de caussis, tum ob ea, quae apud Pindari interpretem, quicumque ille sit, Nemeor. ειδει II leguntur — — Scio tamen, a Thucydide hunc ipsum hymnum Homero inscribi etc.„ Nec minus dubitanter litem dirimit Domitius Calderinus ad Statii Silv. (Venet. 1483 F.) p. 156. „Hymnos praeterea Homeri in „Deos legimus, ex quibus Pausanias testimonio saepe vtitur. *Ego* „tamen *certa* Graecorum monumentorum auctoritate affirmauerim, „*id opus* esse non Homeri Poetae quem veneramur, sed alterius, „qui *Homerus Sellius* Grammaticus est appellatus. Is enim Hymnos „scripsit et s. p.„ Add. Riccius in Dissertatt. Hom. T. I. D. I. p. 6. vt alios taceam.

p) Bibl. T. I. l. IV. p. 252 Wess. Carminis hoc frustulum, quod Homeri Fragmentis inseruit Ernestius Vol. V. p. 135, nuper suo loco repositum est a V. C. Wolfio. n. XXVI, eique additum aliud eiusdem

Tandem *Paufanias* quatuor locis Homerum hymni in *Cererem*, quem, noftra demum aetate a *Matthaei* V. C. in Bibl. Mofcou. repertum, Ruhnkenius, Vir Summus, in lucem prodire iuffit, auctorem edit; bis vero (l. II. c. 14. p. 143. IV, c. 30. p. 354. Kuhn.) eiusdem hymni particulam defcribit, quae in noftro exftat v. 417-420. 479-481.

His igitur locis excuffis, id, puto, conftabit, *duos* tantum *hymnos*, *vnum* hymni *fragmentum*, effe, quorum auctorem, dummodo allatis fcriptorum teftimoniis fidem habeamus, Homerum conftituere liceat *q*); de reliquis rem prorfus incertam manere. Enimuero fi *Homeri* aetatem refpicias, fi tam illius, quam omnium, qui antecefferint Homerum, poetarum carmina poft aliquot demum fecula literis mandata effe animo reputes; praeterea Hymnorum in antiquitate ingentem numerum, inque his multos incerto auctore fuiffe memineris; denique, quot et quanta antiquis magni nominis vatibus fcripta, vel prifca iam

dem haud dubie hymni fragmentum, ex cod. Mofcov. vna cum Hymno in Cererem a Ruhnkenio primum vulgatum.

q) Igitur fcire velim, qua tandem auctoritate *l'Abbé Souchay* in differtat. de Hymnis veterum (Memoires de l'Acad. des Infcript. T. XVI) *Hymnum in Mercurium* Homero diferte tribuendum effe affirmet; quam enim attulit, equidem prorfus ignoro; Eius verba haec funt p. 97. „Mais il paroit inconteftable, que l'hymne à Mercure et l'hymne à Apollon lui appartiennent, comme au veritable auteur. L'hymne à Mercure lui eft donné *par un grand nombre d'anciens*, et, ce qui vaut ici une foule de temoignages, par *Callimaque*. — Interim non reticendum, Paufaniam alicubi (l. IX. c. 30 extr.) *totius* Hymnorum Homericorum *voluminis* mentionem feciffe, fed quid ex hoc loco recte deduci atque concludi poffit, infra videbimus.

iam aetate aut errore aut pia fraude ſuppoſita ſint *r*), haud ignores: quonam, quaeſo, iure *Diodori* ac *Pauſaniae*, quorum alterum fere annos mille, hunc mille et quod excurrit annos poſt Homerum floruiſſe ſcimus, teſtimoniis tantum tribuendum eſſe contendamus, vt ex horum duumuirorum arbitrio, ſola haud dubie fama ſuperſtructo, totam rem confici poſſe arbitremur? Reſtat igitur *vnius Thucydidis* auctoritas, hactenus laudatis grauior, quod ille ab Homeri aetate propius, quanquam nimis longe tamen abfuit, quam vt indagantibus omnem dubitationem eximere, nec erroris, quamuis inconſulto commiſſi, ſuſpicionem mouere putandus eſſet. Sed miſſis his, et quae inſuper ad infringendam Thucydidei teſtimonii fidem excitantur, argumentis *s*), ſaltem illud valere nequit, niſi ad *vnum in Apollinem* hymnum, nec ad hunc

r) Inter innumera, quae hic commemorari poſſint, exempla, ad notiſſimum illud *Onomacriti* tantum prouoco, quippe quem conſtat *Muſaeo*, Xerxe regnante, oracula ſubdidiſſe v. Herodot. VII, c. 6.

s) Prouocant nempe ad Pindari Enarratoris verba ſequentia, Nem. II pr. *μετὰ δὲ ταῦτα καὶ οἱ ῥαψῳδοὶ οὐκέτι τὸ γένος εἰς Ὅμηρον ἀνάγοντες· ἐπιφανεῖς δὲ ἐγένοντο οἱ περὶ Κύναιθον, οὕς φασι πολλὰ τῶν ἐπῶν ποιήσαντας ἐμβαλεῖν εἰς τὴν Ὁμήρου ποίησιν· ἦν δὲ ὁ Κύναιθος Χῖος, ὃς καὶ τῶν ἐπιγραφομένων Ὁμήρῳ ποιημάτων τὸν εἰς Ἀπόλλωνα γεγραμμένον ὕμνον λέγεται πεποιηκέναι. Οὗτος οὖν ὁ Κύναιθος πρῶτος ἐν Συρακούσαις ἐραψῴδησε τὰ Ὁμήρου ἔπη, κατὰ τὴν ἑξηκοστὴν ἐννάτην Ὀλυμπιάδα, ὡς Ἱππόστρατός φησιν.* Enimuero, clamant aduerſarii, hic ſorex ſe ſuis prodit indiciis. Credisne, Thucydidem, qui hiſtoriam condidit Ol. LXXXIX, adeo ſiue veritatis incurioſum, ſiue iudicii expertem fuiſſe, vt Cinaethi, ante octoginta modo annos, editum partum, germanum Homeri iudicauerit? v. Leo Allat. de pat. Homeri. Blackwell Enquiry in to the life and Writings of Homer p. 110 ſqq. l'Abbé Souchay in Mem. l. c. p. 97. Barneſ. in Not. ad Hy. in Ap. pr. — Pindari Scholiaſtae quodammodo fauere videtur Athenaeus l. I. p. 22 C. *καὶ Ὅμηρος δὲ, ἢ τῶν Ὁμηριδῶν τις, ἐν τοῖς εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνοις φησιν* etc.

hunc quidem *integrum*, Homero vindicandum; quandoquidem eum e pluribus hymnorum fragmentis conſarcinatum eſſe, infra vel ex ipſo Thucydide oſtendemus. At illud etiam mihi notandum videtur, non defuiſſe, qui, vt totam, praeter duo carmina illa in vulgus nota, carminum Homerum auctorem venditantium farraginem *t*), ita Hymnos poetarum principi abiudicarent. His annumerandi ſunt *duo vitae Homeri auctores*, Leonis Allatii, *de patria Homeri*, libello inſerti, alter *Proclus*, alter *Anonymus*, cuius verba haec ſunt: οὐδὲν δὲ αὐτοῦ θετέον ἔξω τῆς Ιλιάδος καὶ τῆς Οδυσσείας· ἀλλὰ δὲ καὶ τοὺς ὕμνους καὶ τὰ λοιπὰ τῶν εἰς αὐτὸν φερομένων ποιημάτων ἡγητέον ἀλλότρια, καὶ τῆς φύσεως καὶ τῆς δυνάμεως ἕνεκα. Porro laudatum iam Pindari enarratorem hymnos ad ποιήματα τὰ ἐπιγραφόμενα Ὁμήρῳ retuliſſe vidimus. Similiter iudicauit Schol. Nicandri ad Alexiph. v. 130. vbi ad Hymnum in Cererem nuper repertum alludens, addit: ἐν τοῖς εἰς Ὅμηρον ἀναφερομένοις ὕμνοις λέγεται. Accedit, quod iam *Herodoti* aetate alia carmina ſub Homeri nomine ferebantur, a grauiſſimo hiſtoriarum conditore partim tanquam ſpuria reiecta, partim pro ſubleſtae fidei ſcriptis habita *u*). His denique illud, nec exigui in tanta documentorum inopia ponderis, argumentum adiiciendum, ſcribendi genus, quo vſi ſint Hymnographi noſtri, qualescunque fuerint, quamuis tota dicendi forma ſit Homerica, tamen non ſatis ſibi conſtare, ſed varium eſſe et inaequabile: dictionem ſaepe tenuem, ieiunam et languentem deprehendi; verbo, in pleriſque fere auctores

t) Horum recenſum v. ap. Suidam v. Ομηρος, Pſeudo-Herodotum in Vita Homeri c. 9. 16. 24. 32. 33 et, qui ea vndique congeſſit, Fabricium in Bibl. Gr. T. I, p. 277-83.

u) Nempe *Cypria* carmina τὰ Κύπρια ἔπη. Herodot. II, 117. et οἱ Ἐπίγονοι Id. l. IV, c. 32.

auctores se prodere, qui Homeri carmina crebro recitantes, forte ipsi *Rhapsodi* x), in tantam cum diuino poeta familiaritatem se insinuassent, vt summi vatis auram velut captantes, Homerici carminis virtutes, dictionis numerum, elegantiam ac suauitatem plerumque bene exprimerent, raro adaequarent. Hoc, vt Ruhnkenii verbis vtar, a peritis sentiri potest; imperitis, quid sit, explicari non potest.

Argumentum Hymnorum Homericorum, ad quod modo progreditur oratio nostra, vt accuratius perspiciamus, haud alienum erit, nonnulla *de hymnorum veterum diuersis generibus* hic praemonere. Vbi missis quidem, quae a Grammaticis de hymnorum diuersitate vulgo inculcantur, (diuidunt enim Hymnos ad *argumentum vel potius formam* si spectes, in κλητικοὺς, εὐκτικοὺς, ἀποπεμπτικοὺς, φυσικοὺς, μυθικοὺς etc.; *Deorum*, quibus dicati sunt, ratione, in παιᾶνας, νόμον,

x) Ab his enim, vtpote Homerico sermone optime imbutis, magnam hymnorum partem repetendam esse probabile fit. Quem enim ex Schol. Apollon. Rh. II, 1215 nonnulli expiscari voluere Hymnorum auctorem, *Herodorum*, (v. Fabric. B. G. T. I. p. 265) is, etiamsi de Scholii integritate non dubitaremus, quod tamen mutilum esse ad liquidum perduxit Wesseling. ad Diod. T. I. p. 19, is, inquam, recentiori nimis tempore floruit, quam vt carmina eius pro Homericis haberi potuerint. Si enim *Ionsii* opinioni fides habenda (Scr. Hist. Phil. II, 2, 5.) Theophrasti aequalis erat, clarus alioquin duobus inprimis scriptis, *Heraclea* et *Argonauticis*, Schol. Apollon. aliquoties laudatis. cf. de eo Ill. *Heynius* ad Apollod. T. III. p. 984 sqq. Ceterum Herodorus hic distinguendus est ab alio eiusdem nominis, sed seriori Grammatico, Homeri enarratore, quem cum *Apione*, forte eius aequali, saepe laudat Eustathius, exscripsit etiam Apollon. Sophista in ἐπιβώτορι μήλων. cf. Villoison Proleg. ad Apoll. Lex. Sect. XII. p. 12. 13. Ionf. l. c. l. IV p. 255.

νόμον, προσόδιον, διθύραμβον, μητρῳακοὺς etc.) *y*) *duo* tamen potiſſimum genera digna ſunt, quae ſubtilius explanentur *z*). Hymnorum enim origo cum ab antiquiſſimis inde temporibus repetenda videatur, vbi rudes homines, ſenſibus quippe vehementioribus affecti, ad exprimendos hos, ſignis vterentur affectuum intemperantiae accommodatis: fieri non potuit, quin prima illa carmina ad celebrandos placandosue Deos compoſita, intentiori ſpiritu, oratione grandi, ſublimi, ac verborum concitato impetu funderentur. Ad haec ſi memineris, quantum Numinis colendi maieſtas, accepti a Diis beneficii, ſeu impendentis mali magnitudo; quantum pompae feſtiuitas, hominum effuſa multitudo, locorum ſacrorum religio, accinentium tibiarum ſaltantisque populi ſtrepitus, quantum, inquam, ea valuerint ad vatum animos vehementius commouendos: mirari deſinas, carmina eorum tanto

y) v. Procl. ap. Phot. p. 522 ſqq. *Menander Rhetor*, ab Amiciſſimo ac Doctiſſ. *Heeren* typis nuper repetitus et innumeris mendis lectionisque monſtris purgatus, c. 1. p. 27. c. 2 - 9. Add. Spanh. praefat. ad Callim. et Kries in diſſ. ſupra laud. p. 19 - 36. Tota illa hymnorum diſtributio, prior nempe, Grammaticum ſapit. Vt enim concedam, pleroſque hymnorum, ſi a potiori eos deſignes, ad hoc vel illud genus quodammodo reuocari poſſe, argutiis tamen, ad quas, vt de ſingulis id euincas, nec cum vllo quidem fructu idoneo, erit refugiendum, vix te expedias; quandoquidem multos reperies cum omnibus fere his generibus pariter commixtos.

z) Commemoraui hic hymnos *lyricos*, *epicos*, τελεστικοὺ; erant inſuper commemorandi Hymni *Philoſophici*, qui a Chriſtianorum cantilenis ſacris propius abſunt. Eorum praeclarum exemplum exhibet *Cleanthis* encomium Iouis, a *Brunkio*, Viro de Graecis literis immortaliter merito, Analectis ſuis et Gnomicis poetis inſertum. Ex inferiori aetate huc etiam referas *Procli Lycii* Hymnos tum editos, tum in MSS. adhuc latentes. E Latinis *Boethium* laudarem, niſi omnem hanc ſcriptiunculam in Graecorum carminibus ſacris ſubſiſtere meminiſſem.

tanto spiritu prolata fuisse, vt a *Diis ipsis* profecta, vates autem Deorum vi nutuque gubernari, ferri atque exagitari, opinaretur credulum vulgus. Quae quidem opinio eo facilius increbuit, cum Dii sacris festisque in suum honorem institutis ipsi interesse vulgo putarentur *a*). Hymnorum *antiquissimi* igitur *lyrici* fuere. Quocirca hymnum praeclare finiuit Sophoclis enarrator: *τὴν εἰς θεὸν ᾠδήν*; quin ille dignus habeatur, cui summum in hoc genere locum (τὸ ἄωτον) tribuamus. Veruntamen ex antiquissimis his lyricae poeseos monumentis nihil ad tempora nostra peruenisse, ne miremur. Supersunt saltem, quae antiquiorum iacturam quodammodo possint compensare, praeter nonnulla *Alcmanis*, *Alcaei*, *Sapphus*, *Bacchylidis*, aliorum, fragmenta, tria insuper *Dionysii* cuiusdam integra carmina *b*), inprimis in Tragicorum, *Aeschyli*, *Sophoclis* et *Euripidis*, Choris, Hymni ad genus hoc pertinentes, iidemque incredibili cum vi poetica ad commouendum legentis animum mirifice accommodata elati, quorum recensum nuper dedit Amicissimus *Heeren* in commentatione, qua carmina a choro Graecorum

a) Orta hinc opinio illa sane vetutissima de numinum itineribus et apparitione (ἐπιδημίαις et ἐπιφανίαις) cuius plura in Homero vestigia reperiuntur, statim Il. I. 1. Vnde hymnis, in festis his decantari solitis, peculiare nomen a Grammaticis inditum; vocati nempe sunt ὕμνοι ἀποπεμπτικοὶ, *deductorii*, quatenus Deum abeuntem laudibus velut deducerent. cf. Menand. Rhet. c. 4. p. 37 ed. Heeren. Ab eodem auctore inprimis *Bacchylides* laudatur, poeta in hoc genere clarus.

b) in *Calliopen*, *Apollinem* et *Nemesin*, edita primum ex Bernardi, qui ab Vsserio Msc. emerat, Bibliotheca, a Io. *Fell.* ad calc. Arati, Oxon. 1672; repetita inde et illustr. a *Burette* sur la Melopée de l'ancienne Musique in Memoires de l'Acad. des Inscr. T. V. p. 169 sqq. et Marpurg Geschichte der Musik p. 195 sqq. — De Hymnis inter *Scolia*, huc referendis, supra dictum est.

corum Tragico decantata, ad certa genera et classes primus reuocare tentauit *c*). Praeterea hic memorandi sunt *hymni in Bacchi honorem* conditi s. *Dithyrambi* (quorum inuentor *Arion Methymnaeus* ab Herodoto I, c. 23, ab aliis alii laudantur) *d*), etsi nobis tantum nomine, Romanique poetae adumbratione noti: carminis genus, cuius spiritum et velut furorem nostra aetate vix cogitatione assequi licet *e*) Id tamen omnino coniectura facile colligitur, *lyricos* hymnos *non magno versuum numero* constitisse; quo enim vehementior animi sensus motusque, eo citius remittitur, adeoque oratio, sensus istius interpres, feruida et concitata, ipsis affectus humani limitibus velut coarctata, intra exiguum verborum ac sententiarum ambitum sponte subsistat necesse est. Id quod vel ipsa insuper veterum scriptorum auctoritate saltem de hymnorum parte confirmatur, qui in *sacris arcanis* s. *mysticis* (τελεταῖς, antiquissima aetate a viris sapientibus ad emolliendos barbarorum hominum mores institutis) decantati esse perhibentur, quos tamen *lyricis*, tanquam speciem generi, quodammodo subiungi posse, mox euincere conabimur. Fuere in antiquitate, inter

c) De Chori Graecor. Tragici natura et indole ratione argumenti habita. Gotting. 1784 — Ab Hymnis his, qui in choris veterum reperiuntur, distinguendi sunt alii, seriori aetate inter dramata, ad oblectandos spectatores, accini soliti, quippe nullo cum fabula nexu cohaerentes, quales v. c. a Nerone saepe decantati perhibentur a Lucian. in Nerone p. 1041. cf. Olear. ad Philostr. Vit. Apoll. l. IV, 21. p. 159.

d) cf. Crenii nota ad Casaub. de Sat. poesi l. I, 1, 14; cum Herodoto facit Aristoteles teste Proclo in Chrest.

e) Procl. in Chrest. ἔστι δὲ ὁ μὲν διθύραμβος κεκινημένος καὶ πολὺ τὸ ἐνθουσιῶδες μετὰ χορείας ἐμφαίνων, εἰς πάθη κατασκευαζόμενος, τὰ μάλιστα οἰκεῖα τοῦ θεοῦ cf. Willamov in praefat. ad Dithyrambos vernacula lingua adumbratos, ibique laudd. scriptt.

inter alios eius generis, celebres maxime hymni, *Orpheo* auctori adſcripti, quorum ſingulis *conciſam breuitatem* ineſſe, teſtatur Pauſanias l. IX. c. 30. extr. his verbis: ὅστις δὲ περὶ ποιήσεως ἐπολυπραγμόνησεν, ἤδη τοὺς Ὀρφέως ὕμνους οἶδεν ὄντας. ἕκαστόν τε αὐτῶν, ἐπὶ βραχύτατον, καὶ τὸ σύμπαν οὐκ ἐς ἀριθμὸν πολὺν πεποιημένους. Vltima haec quomodo cum hymnis, qui adhuc numero ſatis amplo ſub Orphei nomine circumferuntur, conciliari poſſint, videant, qui eorum antiquitatem contra impugnantium rationes tueri velint. Sed fac illos vel maxime ſuppoſititios eſſe; certe ad deperditorum exemplar compoſitos eſſe, *negari* nequit *f*). Ex his igitur quaedam, forte vniuerſo generi communia, facile dignoſcas. Conſtant enim plerique e *mera* Deorum Dearumque, quibus dicati ſunt, *invocatione*, coaceruato idcirco epithetorum magno numero *g*), quibus Dei virtutes, vis et munera declarantur. Denique Numinis, aut in ſacris his praeſentia mitis, aut omnino gratia erga initiatos, precibus expoſcitur. Dii, quibus litatur ſuffimentis, non vulgares ſolum, ſed antiquiores etiam, ex cosmogoniis partim repetiti. Eſt *Aether*, *Mare*, *Nox*, *Nemeſis*, *Rhea*,

f) *Scaliger* quidem omnino carmina haec *hymnos* appellari vetat, (in Annotatt. ad Orph. H. pr.) quandoquidem „*in Hymnis natalia*, „*geſta et eiusmodi narrantur: hic vero tantum innocationes Deorum*, „*quibus vtebantur in myſteriis, qui ſacris cuiuspiam Dei initiaren*„*tur.*„ Enimuero, niſi *Hymni* vocabulo arbitrariam ſubiicere velis notionem, ſane Orphica haec μέλη vel ideo, quod Deorum inuocationes referunt, aliaque multa, quae ad laudes eorum ſpectant, commemorant, huc referri neceſſe eſt; modo peculiarem hymnorum formam iis contineri, in confeſſo ſit.

g) De nota hac veterum hymnorum πολυωνυμίᾳ v. vel Spanhem. ad Callim. H. in Dian. 7. cf. Aeſch. Prom. 210. Agam. 168. Ariſtoph. Thesmoph. 324. Orphicorum naturam hinc bene delineauit Auctor Lapid. XVIII, 84-86. cf. Geſn. ad H. 1, pr.

Rhea, *Δίκη*; ſunt *Nubes*, *Aſtra*, *Parcae*, *Corybantes*, al. Adde his ritus ſacros et caerimonias teletis peculiares, ipſam myſteriorum ſanctitatem, nec difficile intellectu erit, carmina, ſacris his accini ſolita, ſublimem aliquam obſcuritatem, e crebris grandibusque ſententiis, exiguo verborum numero concluſis, enatam, redoluiſſe, adeoque *lyricis*, quos appellauimus, hymnis vt annumerentur, velut iure ſuo mereri. Quid? quod ipſa virtutum diuinarum accumulatio mentem prodit perturbatam, numinisque cogitatione grauiter commotam, quae adeo verba anxie anquirat, quibus ſententiarum graui pondere ſeſe exoneret. Nec aliam ob cauſſam, niſi propter hoc diuinum neſcio quid, quo ad cultum Deorum dicti Hymni egregie comparati eſſe debuerint, ab ipſo Pauſania l. c. Homericis Hymnis praeferuntur: *Λυκομῆδαι h) δὲ ἴσασί τε καὶ ἐπᾴδουσι τοῖς δρωμένοις, κόσμῳ μὲν δὴ τῶν ἐπῶν δευτερεῖα φέροιντο ἂν μετὰ Ὁμήρου γε τοὺς ὕμνους· τιμῆς δὲ ἐκ τοῦ θείου, καὶ ἐς πλέον ἐκείνων ἔχουσι.*

At enim lyricis, de quibus adhuc egimus, hymnis, tum aetate, qua conditi fuerunt, aliquantum inferius, cum tractandi ratione diuerſum plane Hymnorum genus dixeris, in quibus praeter virtutes, ***inprimis facta et res geſtae Deorum*** exponuntur. Hos enim, cum ***mythis***, a prima inde, ſeu philoſophantium hominum, ſeu qui maiorum res geſtas fabularum inuolucris incredibiliter exornauerant, infantia acceptis, poetarum vero ingenio ſubinde auctis et amplificatis, ſuperſtructi ſint, eo tempore demum, quod mythi-

h) Familiae huius, a Lyco, Pandionis II. Athenienſium regis filio, oriundae, pluribus locis meminit Pauſanias. Ei hymnorum cura in ſacris μεγάλων θεῶν (Cereris et Proſerpinae), adeoque *Eleuſiniis*, mandata eſſe videtur. v. Pauſan. IV, 1. p. 281. ibique Kuhn. — IX, 30. p. 770. Ab iisdem Lycomedis non *Orphei* ſolum, ſed *Pamphi* etiam et *Muſaei* hymnos in teletis decantatos eſſe, idem auctor teſtatur l. IX, 27. p. 762. IV, l. c.

mythicum illud excepit, inuentos esse patet. Porro, cum res gestas factaque Deorum narratione epica persequerentur, in singulis quidem locis non deerat materies, vbi poetae ingenium se ostentaret, ac viuidis rerum imaginibus, virtutumque diuinarum splendida descriptione, ad lyrici hymni sublimitatem nonnunquam adsurgeret. Enimuero in vniuerso carmine spiritus sedatior, oratio tenuior, moderata, leniter tantum se extollens, animaduertitur. Nec tamen vel horum carminum siue hymnorum, quos *epicos* recte appellaueris, *vnum* consilium, eadem ratio fuit: quandoquidem poetarum alios in numinis, quod laudibus extollere tentarunt, virtutes et facta latius exspatiatos, plurium fabularum, quibus Dei *natales*, *vita*, *amores et res gestae* continebantur, delectum ita fecisse constat, vt, animo indulgentes, ab vna ad alteram, interiecta passim Dei inuocatione virtutumque praeconio, descenderent; alios ex innumera fabularum, ad numen aliquod spectantium, copia ac farragine *vnam* potissimum selegisse, eique enarrandae *totum* carmen impendisse, propterea, quod illa vel ad declarandam numinis, siue potentiam, siue eximiam corporis animique virtutem, siue insignem erga mortales beneficentiam, prae ceteris perquam idonea visa fuerat; vel hactenus heroico carmine digna, quod plura forte inessent fabulae, quae ornatum poeticum ingeniique lusus facile admitterent. Extremam hanc hymnorum formam, *epici carminis* speciem atque colorem magis, quam priorem illam, referre, apparet. Vtriusque autem formae exempla in *Callimachi* et *Homericis*, qui dicuntur, *hymnis* reperias. Ad priorem enim Battiadae, si a duobus forte recedas, laudatoria carmina commode reuocari possunt, ad posteriorem Homericorum *integriora* i). Quid? quod

 hoc

i) Discrimen hoc Homericorum et Callimachi Hymnorum fugisse videtur

hoc velut proprium ac peculiare, quo a ceteris differant, *Homericis Hymnis* esse putauerim, quod nempe *vnum tantum Numinis factum, vna fabula ad Deum pertinens*, ita narratur, vt, si principio et fine carmen priues, maneat fere absolutum opus, scilicet rei, a numine gestae, continua narratio, epicorum poetarum more prolata *l*). Ita in *Hymno in Mercurium* (II) Dei huius *natales*, ob lyrae inuentionem et boum furta commissa celebres, exponuntur. Poetam ipsum, in hymni exordio, argumentum hoc breuiter enarrantem audias, v. 17. 18.

Ἠῷος γεγονὼς μέσῳ ἤματι ἐγκιθάριζεν,
Ἑσπέριος βοῦς κλέψεν ἑκηβόλου Ἀπόλλωνος,
Τετράδι τῇ προτέρῃ, τῇ·μιν τέκε πότνια Μαῖα.

Totius porro *in Venerem* (III) hymni materiem suppeditant *Deae huius et Anchisae amores*, quorum narratio a vs. 45. incipiens, vsque ad hymni finem (291) per-

detur *l'Abbé Souchay*, quippe qui vlla re inter se differre illos, diserte negat: "nulle difference entre les Hymnes de Callimaque et „ceux, qui portent le nom d'Homere, ni dans le dessein general, „ni dans la distribution des parties." v. Mem. de l'Acad. des Inscr. T. XII. p. 10. Vnum carmen, quod Homerici hymni οἰκονομίαν quodammodo referre credas, *Hymnus in Delum* erit, cuius argumentum fere simile est particulae Hymni Homerici in Apoll. v. 19-178; nisi Callimachi poema hoc Hymnis in *Deos* omnino eximendum putaueris. Verum quod duo extrema in *Lauacrum Palladis* et *in Cererem* encomia attinet, quae ibi narrantur Dearum facta, nae illa magis *pro episodio* carmini intexta esse, idque longe secus in Homericis, vbi fabulae expositio *vnicum*, vt ita dicam, *hymni consilium est*, reperiri, quisquis vel a limine tantum vtraque salutauerit, mihi largietur.

l) Ad formam hanc adumbrati sunt *Dioscuri* inter Theocritea XXII, praeter quod vs. 54. poetae narratio cessat, contra *Pollux* et Bebrycum rex, *Amycus*, ipsi loquentes inducuntur, adeoque carmen, secundum artis praecepta, μικτὸν est ἐκ τοῦ διηγηματικοῦ καὶ τοῦ δραματικοῦ

pertexitur. Similiter ad *Eleusiniorum sacrorum originem* celebrandam, omne carmen *Cereri* dicatum (IV) spectat. Eadem argumenti vnitas in breuiori Hymno, Διόνυσος ἢ Λῃσταὶ, (VI) inscripto, obseruari licet, quanquam eum carminis aliunde decerpti, inque hanc hymni formam a Grammaticis demum redacti, fragmentum esse, suspicari malim. Ex hoc genere *primus in Apollinem hymnus* solus excipiendus videtur; sed ita videri tantum, infra pluribus enarrandi locus erit. Id modo subiiciam, obseruatam hanc hymnorum Homericorum et epici carminis inter se similitudinem, praeter dictionis, cum Homeri carminibus, congruentiam, forte adduxisse veteres, vt illos Homero auctori addicerent.

Ad reliquorum, qui, integrioribus his adiecti, in libris leguntur, hymnorum argumentum quod attinet, nil vniuerse de eo moneri posse, res ipsa docet. In plerisque enim carminum olim longiorum fragmenta facile agnoscas; eadem tamen diuersissimi generis et formae indicia prae se ferunt. Bene multa non nisi *flores, ex antiquorum poetarum epicis carminibus, cyclicorum* nomine notis, *siue Rhapsodorum prooemiis*, decerpti, esse videntur; quandoquidem veteres Grammaticos eorum loca, quae ad Deorum laudem pertinerent, congessisse, probabile fit. Morem hunc saltem recentioris aetatis Grammaticis Rhetoribusue receptum fuisse, testis est *Menander Rhetor* de encomiis c. 9. vbi ad illustrandos, in quibus modo versatur, ὕμνους εὐκτικοὺς, exemplo vtitur Homeri in Iliade κ. 278. 79.

Κλῦθί μοι αἰγιόχοιο Διὸς τέκος, ἥτε μοι αἰεὶ
Ἐν πάντεσσι πόνοισι παρίστασαι — — m)

m) Bene igitur monet Cl. *Heeren* in commentat. Men. praef. p. 19. „Hymni vocantur ex Rhetorum praeceptis omnes laudes Deorum — ex

Nec alio ſenſu *Philoſtratus* in Heroicis c. 2. §. 19. p. 693. Homeri *hymnum in Iouem* excitare videtur, his verbis: τὸν Ὅμηρον ὁ Πρωτεσίλεως φησὶν ἐπάξιον τοῦ Διὸς ᾆσαι ὕμνον·

Ζεῦ κύδιστε, μέγιστε, κελαινεφὲς, αἰθέρι ναίων.

qui verſus legitur Il. β' 412. — Nimirum Grammatici ea fortaſſe ratione diſciplinae ſuae alumnis plura, in poetarum carminibus late diſperſa, iunctim proponere voluere exempla, quorum crebra lectione laudum divinarum copiam atque materiem ſibi compararent, nec, ſi quando ſimili ipſis opera defungendum eſſet, fontes ignorarent, e quibus prata ſua poſſent irrigare. — Tale in Hymnis noſtris fragmentum eſſe, inſcriptum illud *Muſis et Apollini* XXIV, nemo dubitet. Eosdem enim verſus in Theogoniae Heſiodeae exordio, vſ. 94-97. reperiri, ab omnibus fere Interpretibus obſeruatum eſt. Hymni ſpecie indutum illud vides addito ſolum primo verſu; Μουσάων ἄρχωμαι, Ἀπόλλωνός τε, Διός τε, et *epilogi* formula hymnis ſollemni. Vidimus hoc exemplo, quam facili negotio Graeculi magiſtelli hymnos crearint. Idem in aliis compluribus obſeruare licet; ſunt velut fruſta quaedam carminum epicorum, quae dudum interiere: in his vero nonnulla tanta dulcedine, tanta vetuſtatis robigine vigent, vt carminibus iſtis, vnde forte depromta ſint, aegerrime careamus. Huc praecipue referas ſplendidiſſimum illud, in *Mineruae natales*, carmen, (XXIX) haud dubie ex Theogonia antiqui poetae deſumtum *n*).

Eius-

— ex carminibus vero non ea ſolum, quae tota in laudem Dei alicuius compoſita ſunt, ſed breues quoque inuocationes Deor. in epicis carminibus,, cf. v. c. Theocrit. XXVI, 33-38.

n) Fragmentum hoc, tum ob argumenti ſimilitudinem, tum propter elocutionis ſublimitatem, dignum eſt, quod Heſiodei carminis pulcerrimis locis, *de Titanum pugna* v. 676-710, de *Typhoeo* v. 840 ſqq.

Eiusdem generis fragmenta esse puto, quae *Veneri* IX, *Herculi* XIV, *Aesculapio* XV, *Vulcano* XIX, *Apollini* XX, *Soli* XXXII, inscripta sunt, denique *dimidiam Hymni in Pana* XVIII partem; inde a vs. 28 - 47.

Porro encomiorum nonnulla ab indole *Homericorum* tam aliena, tamque *Orphicis* similia videntur, vt ab horum auctoribus, certe ad illorum exemplar ea composita esse, verisimillimum sit. Ad quod genus prae ceteris vel *Ruhnkenii*, V. Cel. arbitrio *o*), referendus est *in Martem* hymnus, VII; Addenda puto fragmenta hymnorum, *in Vestam* XXIII, in *Deûm Matrem* XIII, inque *Terram Matrem Vniuersi* XXXI. (coll. Orph. Hymn. 13, 25. 26.)

Quatuor Hymnos: in *Bacchum* VI, *Pana* XVIII v. 1 - 27, *Neptunum* XXI, *Dioscuros* XXXIV: siue ab ipsis poetis, qui eos condiderunt, siue ab his, qui Hymnorum ex variis poematibus fragmenta collegerant, ad *Dithyramborum* formam quodammodo compositos esse, Viris doctis innuere videtur exordii formula: Ἀμφὶ Διώνυσον, Ποσειδάωνα etc. Constat enim, simile *διθυράμβων* initium fuisse, e Schol. Aristoph. Nub. 595. Incipit ibi chorus; Ἀμφί μοι αὖτε, Φοῖβ' ἄναξ; et notat Schol. *μιμεῖται δὲ τῶν διθυράμβων τὰ προοίμια· συνεχῶς γὰρ χρῶνται ταύτῃ τῇ λέξει. διὸ καὶ Ἀμφιάνακτας αὐτοὺς ἐκάλουν, καὶ τὸ προοιμιάζεσθαι δὲ ἀμφιανακτίζειν ἔλεγον p*).

 Repe-

sqq. annumeretur, de quibus liceat mihi iudicium *Heynii*, Summi Viri, apponere: „Ex his, inquit, et similibus locis poetarum antiquissimorum character constituendus est, quo adsurgere illis licuerit: nam simile quid seriorum poetarum ingenia non protulere„ v. Comment. de Theog. Hesiod. inserta Commentatt. Soc. Reg. Gott. Vol. II.

o) Epist. Crit. I, p. 60.

p) cf. Barnes. ad H. in Bacch. VI. Küster. Not. ad Suidam v. ἀμφιανακτίζειν — Sed in Homericis hymnis alterum illud, ἄναξ, non reperitur.

Reperiuntur *duo* carmina, quae *meros poetarum lusus* dixeris, quales in Anthologiis, Diis, vel Deorum simulacris et imaginibus, inscripti, exstant multi: ea dico, quae *Veneri* V, et *Dianae* XXVIII, dicata sunt. Cum priori illo dulcissimo carmine contendas modo quatuor Epigrammata in Venerem Ἀναδυομένην Anthol. IV, p. 326.

Restant denique poemata *duodecim*, quibus solis, si vnum forte, *in Vestam et Mercurium* XXX, excipias, *inter Homericorum Hymnorum fragmenta*, locum assignare non dubito. Ea scilicet carminum reliquias haberi debere arbitror, qualia in Mercurium, Venerem et Cererem, integra adhuc exstare, supra vidimus. Saltem de duobus, nempe hymni in Mercurium XVII, atque in Cererem XII, fragmentis, vnde petita sint, satis tuto pronuntiare licet. Alterum enim *hymni in Mercurium*, adhuc integri, *versus nouem priores*, alterum, in *Cererem* hymni nuper reperti, *initium* refert. — Quae omnia, etsi tam diuersi generis et argumenti, carmina, qua tandem ratione in *vnum hoc* Homericor. hymnor. *volumen* immigrare potuerint, nemo mirabitur, modo, qui dispersorum carminum haec collectio probabiliter orta sit, apud animum cogitet.

Nam cum primum clarorum poetarum carmina, adhuc a Rhapsodis decantari solita, literis consignarentur: mox propter materiae, qua ad scribendum vsi sunt, penuriam, calci codicis, qui integrum aliquod carmen complectebatur, ad spatium explendum, saepe allita sunt a librariis alia minora carmina, siue integra

peritur. Et addit Schol. Aristoph. verbis supra appositis: λείπει δὲ τὸ ἔσο, ἢ τὸ χόρευσον, ἤ τι τοιοῦτον; quam ellipsin in hymn. laudator. initio locum non habere, res ipsa docet. Quamobrem cum *Ernestio* facere malim, qui, talem exordii formulam pluribus hymnis forte sollemnem fuisse, obseruat.

gra illa, siue fragmenta tantum; quorum vel ignorarent auctores, vel, etiamsi primi adscripsissent, in apographis sequiores apponere haud curarent. His poetarum lusibus *hymni* quoque, quorum particulam nunc tenemus, haud dubie erant intexti. Vnde temporis successu nonnulli subinde exstitere, qui reliquis poematiis sepositis, *hymnos* ex pluribus codicibus, in quibus modo vnus et alter, modo plures seorsum legebantur *q*), in vnum colligerent. Iam hi, cum forte indoctiores essent, forte etiam vt pleniorem codicem venditare possent, nonnulla *Hymnorum Anthologiae* interseuere carmina, a natura et indole huius generis aliena, quae tamen vel ab his ipsis, vel ab iis, qui postea descripserint illa, librariis, in hymnorum formam redacta esse, coniicere licet. Porro cum e variis codicibus, prout compilatori eos fors obtulerat, collectio facta esset, in aliis hymnorum Catalectis, aut plura aut pauciora, in aliis aut integriora aut mutila et decurtata carmina fuisse, facile est ad intelligendum. Nec minus probabile videtur hoc, quod, cum semel hymnorum anthologiae conditae essent plures, Grammatici collecta illa ex antiquis epicorum poetarum carminibus, quae ad Deorum laudem pertinerent, loca in discipulorum vsum inserserint, iisque, addita hymnorum formula sollemni, encomii speciem ac formam induerint. Tota haec igitur hymnorum farrago, temere sic congesta, Homericorum carminum, quibus Hymni ad partem similes habebantur, libris attexta est.

Quae adhuc e mera tantum non coniectura a me disputata esse forte videbuntur, ea historicis quoque rationibus quodammodo firmari posse arbitror. Veterum enim auctorum quatuor potissimum, Thucydidem,

 Dio-

q) Ita v. c. hymnum in Bacchum VI, nonnullis Argonauticorum Apollonii Rhodii codd. adscriptum esse constat. v. Barnes. ad H. l.

Diodorum, Pausaniam et Athenaeum, hymnor. Homericor. mentionem fecisse vidimus. Ex his duumuiros quidem, Pausaniam aetate qui praecurrunt, *singulos* hymnos tantum laudare, confitendum est; *vniuersa* autem de iis *primus* disputat Pausanias, eo quidem loco, quo Orphicos hymnos comparat cum Homericis, l. IX, 30. extr. Vnde perspicimus, Pausaniae aetate hymnorum Homero tributorum numerum aliquem, vno volumine descriptum, exstitisse. Sed illam congeriem ab hac, quae ex Homeri codicibus typis repetita ad nos peruenit, diuersam fuisse, vel id arguit, quod hymni in Cererem, cuius pl. ll. meminit Pausanias, (v. sup. p. 10) praeter exordii *duos* versus, nullum in nostra hac collectione vestigium occurrit; donec recentissima aetate hymnus ille, *sed in alio codice*, Moscouiae, aliqua parte excepta, satis integer repertus est. Deinde Athenaeus, ad H. in Apollin. prouocans, numero vtitur multitudinis: Ὅμηρος - - ἐν τοῖς εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνοις φησὶν l. I, p. 22. C; colligas inde licet eum siue plures huius tituli hymnos habuisse, siue, quod mihi quidem probatur, hymnum, qui in libris nostris, per quingentos quadraginta quinque versus, continua serie decurrit, in plures, forte integriores, dispertitum legisse. Enimuero ne Diodori, quin Thucydidis iam aetate, hymnos aliquot in vnum collectos fuisse, opinemur, quid vetat? Quod si quis mihi largiatur, nec de eo amplius dubitet is, hymnorum, quibus auctores isti vsi sint, Catalecta, ab his, quae nostrorum librorum fontes haberi debeant, (nam e pluribus collectionem hanc conflatam videri, mox monebimus) aliquantum discrepasse. Quos enim Diodorus Hymni in Bacchum versus laudat, (l. III. c. 65.) eos, sicut totum hymnum, in editione Homeric. carm. principe, et post eam reliquis, frustra quaesieris. A Thucydide vero laudati in Apollinem hymni eo loco finem diserte poni

ni vides, quo in noſtris libris vix tertia hymni pars abſoluitur r). Singula haec momenta ſi diligenter exputemus, vix idoneis argumentis id ſatis defendi probarique poſſe exiſtimo, *vnum tantum Hymnorum autographum*, ab antiquiſſima inde aetate, fuiſſe, idem vero temporis decurſu multis modis, ſiue auctum, ſiue mutilatum, ſiue interpolatum, donec hac, quae nunc eſt, forma, ad noſtra demum tempora peruenerit. Imo maiori ſane cum probabilitate, ac totius antiquitatis indoli et genio conuenientius, decernemus, tum plures Hymnorum anthologias olim exſtitiſſe, iisque nec eadem, aut integra aeque carmina, omnibus contenta fuiſſe, tum noſtram hanc Hymnorum Fragmentorumque farraginem indocto compilatori nos debere, quippe qui *e pluribus*, quae forte ad manus erant, *hymnorum anthologiis*, nouam hanc conſarcinauerit; qua tamen opera eum adeo deſultorie inconſultoque defunctum eſſe apparet, vt *eiusdem hymni*, in *Mercurium* puta, quem *integrum* iam deſcripſerat, *fragmentum* aliquod (v. H. XVII), ex alia collectione, hactenus mutila, ſine dubio petitum, ſuis catalectis inſereret. Hoc enim qui factum ſit, vix alia ratione, niſi hac modo propoſita, Hymnorum quod terimus volumen ex pluribus aliis conflatum eſſe, commode ſatis explicaueris. Quodſi igitur ea Appendicis Homerici fata fuere, quid iſtuc tam mirum videri debet, ſi antiquiſſima illa partim atque dulciſſima carmina multis modis deprauata, ſi tot pannos laciniasque a ſciolis adſutas, tot emblemata, doctorum hominum male ſedulorum, in variandis, ornandis vel amplificandis verſibus

r) Hiſtor. l. III. c. 104. ὅτι δὲ καὶ Μουσικῆς ἀγὼν ἦν καὶ ἀγωνιούμενοι ἐφοίτων, ἐν τοῖσδε αὖ δηλοῖ, ἅ ἐστιν ἐκ τοῦ αὐτοῦ προοιμίου. τὸν γὰρ Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν ὑμνήσας, ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη, ἐν οἷς καὶ ἑαυτοῦ ἐπεμνήσθη; quae verba ſtatim excipiunt verſus qui in noſtro ſunt v. 165-72.

versibus, occupato studio, debita, tot et tantis denique corruptelarum generibus lectionisque monstris, carminum contextum scatere, videas. Quae quidem omnia, fore vnquam, vt in hac librorum Mss., inprimis antiquae et bonae notae illorum, penuria, sola ingenii ope, non modo detegas atque expellas, sed saniorem etiam vbique locorum lectionem refingas, spes omnis prorsus abiicienda videtur.

Sectio II.

Disquisitio in singulos Hymnos, Hymnorumque habitâ vulgo fragmenta, eorum argumentum, rerumque pertractatarum rationem.

Vt in singulorum Hymnorum censura hac facienda, qui vnius formae esse videantur, velut vno obtutu compareant, a vulgari, quo in libris exstant, ordine paullo recedere, eosque ad delineata ante genera et classes reuocare, satius visum est; ita tamen, vt de Hymnis IV integrioribus, secundum ordinem in libris receptum, primo loco agerem. Caeterum quae in hoc et sequenti capite proponam, cum partim nonnisi probabilitate quadam niti haud ignorem, ne doctioribus saepius caecutiisse visus, errorisque facile conuictus fuero, admodum vereor; spe modo ductus, qualiacunque mea conamina aequis arbitris hactenus saltem probatum iri, vt, meliora edocendo, in viam, a qua forte aberrauero, reducere me haud dedignentur.

I. Hymnus in Apollinem.

Hymnum in Apollinem, vt ille nunc in libris exſtat, quo minus *pro vno et abſoluto carmine*, quod *ab eodem auctore* totum ſit profectum, habeam, plures ſunt, quae me impediant, cauſſae; contra, quae hymno accuratius paullo perlecto, cogitanti ſtatim ſe offert opinio, plura hic a librariis congeſta reperiri hymnorum in Apollinem fragmenta, forte etiam nonnulla integra carmina, vix dubitari poteſt. In quo librarii, indocti plerumque, iudiciique illo acumine, quo ſpuria a germanis, ſententiarum nexu inter ſe cohaerentia ab alienis, diſcernerent, deſtituti, quam ſaepe peccauerint, cum iam dudum conſtet inter Viros Doctos, non eſt, quod multis efficere rationibus coner. Nempe cum libris ſcriptis aut non ſatis diligenter appoſita eſſent nomina ac tituli, aut ab iis, qui codices illos deſcriberent, indices, in fronte adſcripti, eſſent omiſſi aut neglecti, factum eſt, vt ſequiori tempore diuerſorum ſcriptorum fragmenta in vnum conflata, et, quae plurium auctorum, pluriumque ſcriptorum florilegia rectius eſſent nuncupata, tanquam vnum opus ab vno eodemque auctore confectum, venditata ſint. Fac igitur hymnos in Apollinem, qui ſub Homeri nomine ferebantur, plures, in multis libris ſparſim extantes, ab iis, qui hymnorum anthologiam conderent, collectos atque continuo deſcriptos fuiſſe: profecto mireris, niſi repetitis ſubinde apographis, quae diuerſa, diuerſorum auctorum, carmina eſſent, in vnum coaluiſſent. Sed verum eſſe, quod probabilitate non carere vidimus, in primis arguit *mira illa argumenti*, quae in hymno obſeruatur, *diverſitas*, *cum vario ſermonis ornatu et colore* coniuncta. Quid? quod hymnum plurium, quae ad Apollinem ſpectant, fabularum velut complexum ac ſeriem eſſe recte dixeris. Iam vero ex aliorum hymnorum, ab Homeridis,

meridis, epici carminis inſtar, conditorum, allatis exemplis apparet, Homericos hymnos ita factos eſſe, vt ex innumera fabularum, ad numen aliquod pertinentium, multitudine, vnam ſeligeret poeta, eamdemque, modo laudibus Dei extollendis aptam, per omne carmen perſequeretur. Sed characterem hunc, niſi in hymno plura fragmenta latere mihi largiaris, prorſus tolli, ex iis quae ſtatim dicam, ſequetur. Accedunt his inſuper aliae rationes, ex ipſo carminis contextu petitae, quae quidem omnem de opinionis noſtrae veritate dubitationem eximere videri poſſint, quas tamen cum generatim exponere res ipſa vetet, ſuis quamque locis indicabimus *).

Praemiſſis his, fragmenta ipſa, quae continentur hymno, ſubtilius exponam. Sunt autem *quinque* potiſſimum, facili, vt opinor, negotio deprehendenda. *Primum*, quod *tredecim* verſibus, in hymni principio qui leguntur, abſoluitur, hymni in Apollinem, quo Deum hunc inter Diuos primo receptum celebrauerat poeta, exordium, certe particulam, habeam. *Alterum* (niſi integrum hymnum appellare malis, nam, exordio tantum mutilum eſſe, coniicio.) a vſ. 19. incipit, *s*) et vſ. 178. demum concluditur. Traditur hic nota de natalibus Dei fabula; exponuntur Latonae errores — v. 49. Tandem ad Delum vsque profecta Dea, inſulam hanc, in qua partum, diuinitus conceptum, edat, ſedem ſibi eligit — v. 90. Iam ea per nouem dies parturiente, Ilithyiae, ab Iride arceſſitae

*) Nec praetereundus mihi Athenaei locus ſupra illuſtr. l. I, p. 22. Ὅμηρος — *ἐν τοῖς εἰς Ἀπόλλωνα ὕμνοις*, quippe qui coniecturam hanc mirum quantum firmare videtur.

s) Lacinia illa intertexta, V. 14 - 18, quorſum pertineat, in Obſeruationibus dicam.

arcessitae, aduentu et auxilio, nascitur Apollo — v. 119. Enarrantur tum solemnes in infante recens nato abluendo nutriendoque ritus, Dearumque praesentium ministeria. Quibus peractis, Deus, fasciis sponte solutis, iuuenili conspicuus formositate prodit, numinisque sui maiestate Immortalium animos in se defixos tenet — v. 140. Quo loco hactenus oportune vtitur poeta, vt ipse summi Numinis admiratione velut obstupefactus, in eius laudes ardentius paullo excurrat; ipsa quippe insula, in qua natum modo Deum cecinerat, propter sacra ludosque, in Apollinis honorem, ab antiquissima inde aetate, ibi celebrari solitos, largam encomii materiem suppeditante. — At vs. 178. finiri carmen, et argumenti a sequentibus diuersitas, et solemnes in epilogo formulae: Ἀλλ' ἄγεθ', ἱλήκοι μὲν Ἀπόλλων Ἀρτέμιδι ξὺν, Χαίρετε δ' ὑμεῖς πᾶσαι. — — Αὐτὰρ ἐγὼν οὐ λήξω ἑκηβόλον Ἀπόλλωνα Ὑμνέων etc. manifeste declarant, maxime vero confirmant Thucydidis verba supra iam descripta: τὸν γὰρ Δηλιακὸν χορὸν τῶν γυναικῶν ὑμνήσας, ἐτελεύτα τοῦ ἐπαίνου ἐς τάδε τὰ ἔπη· Ἀλλ' ἄγεθ' ἱλήκοι μὲν κ. τ. λ. t).

Sequitur tum vs. 179. *tertium* hymni fragmentum, sed breuius; deficit enim vs. 206., quod, cum Apollinis in Olympo, coram Deorum consessu, citharam pulsantis, Musarum, Veneris, Dianae, aliarum Dea-

t) Eamdem opinionem amplectitur *Ruhnkenius* V. C. in Ep. Crit. I, p. 7. eamque sequi videtur Cl. *Wolfius*, qui in nouissima Homeri editione priorem hymnum a posteriori, maiori spatio post v. 178 interiecto, separauit. Thucydidis auctoritati adde, quem laudat Ruhnken. d. l., Aristidem, T. II, p. 409. ed. Jebb. τίς ἄριστος ἐπῶν ποιητής; Ὅμηρος. τίς δ' ὡς πλεῖστον ἀνθρώποις ἀρέσκει, καὶ τῷ μάλιστα χαίρουσι. ἢ τοῦτό γε καὶ αὐτὸς ὑπὲρ αὐτοῦ προείδετο. διαλεγόμενος γὰρ ταῖς Δηλιάσι, καὶ καταλύων τὸ προοίμιον, εἴ τις ἔροιθ' ὑμᾶς, φησὶν, ὦ κοῦραι etc.

Dearum accinente choro ſtipati, laudes contineat, vix commoda excogitari poteſt ratio, cur narrationi, illud excipienti vſ. 207, a poeta praemiſſum eſſe opineris. Accedit, quod vſ. 183. Deum, verſus Delphos gradientem, fingit vates, cum in ſequentibus demum oraculum Delphis ab Apolline conditum videas. Denique vſ. 207. Πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω πάντως εὔυμνον ἐόντα; plane otioſus eſſet, ſi ineuntem hoc verſu fabulam cum iis, quae proxime anteceſſerant, arcte cohaerere, contenderes. In his enim late iam in numinis laudes exſpatiatus erat poeta, adeo, vt tranſitu hoc, πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω etc. facile ſuperſedere potuiſſe putandus ſit. Enimuero initio hymni, praemiſſa forte breui numinis inuocatione, formulam hanc bene accommodatam eſſe, quisque fatebitur.

Carmen hoc dulciſſimum, mira ſimplicitate, argumentique ſuauitate, cuique, antiquitatis ſenſu guſtuque paullulum imbuto, ſeſe commendans, excipit v. 207. hymnus, longior quidem, idem vero, ſi recte ſentio, tum ſpiritu, tum orationis cultu et ornatu, praecedenti aliquantum inferior; vt, niſi plures iam rationes attuliſſem, vel hoc indicio didiciſſe me faſſus eſſem, vtrumque diuerſos agnoſcere auctores. Inducitur Deus in variis locorum tractibus oberrans, vt templi ſimulque oraculi collocandi ſedem inueniat *u*) — v. 244. Tandem

u) Mythus hic adſtructus eſt veteri opinioni, loca ſacra, templa et oracula a Diis, in quorum honorem condita ſint, in primis amari, coli, inhabitari; adeoque natum inde commentum, Deos loca haec ſibi ipſos delegiſſe. cf. Pindar. Ol. VII, 100. Apollod. III, 14, 1. ibique Doctiſſimum Interpr. in Not. P. II, p. 815. quem et Hymni noſtri locum excitaſſe videas. Hinc iure *Strabo* Ephorum, hiſtoriar. auctorem, perſtringit l. IX p. 422 ſqq. Caſaub. quod fabulam hanc de Apollinis erroribus, cum caeteris huc ſpectantibus, in commentarios ſuos receperat.

Tandem a Delphuſa Nympha callide deceptus, prope Criſſam ſub Parnaſſo monte vtrumque exſtruit. Interim vel huic hymno pannum, quo fabula de *Typhone* continetur, vſ. 305 - 354. ex alio carmine adſutum eſſe, praeclare me commonefecit Ill. *Heynius*, Vir, cui quantum et in his, quarum aeternum decus et ornamentum Ille omnium conſenſu iure appellatur, literis, et ob alia innumera beniuolentiae ſpecimina debeam, palam profiteri, prohibet Summi Viri cognitus mihi pudor. — Emblematis detecti fraudem produnt vel corrupti, eque noua interpolatione orti verſus 355. 356. — Tota vero conditi Delphis oraculi narratio v. 387. finitur; quapropter hoc loco etiam hymnum finiri, et verſu ſequenti (388):

Καὶ τότε δὴ κατὰ θυμὸν ἐφράζετο. φοῖβος Ἀπόλλων

nouum idque vltimum fragmentum, praecedenti multo pulchrius et ornatius, procedere ſtatuo. Apollo hic *in Delphinum* mutatus, Cretenſes nautas, mercenariis ratibus Pylum petentes, Criſſam appellere cogit, iisque, humana ſpecie reſumta ſe offerens, templi recens conditi atque ſacrorum curam tradit *x*). Sunt quidem, nec ignoro, nonnulla, quae huic ſententiae primo obtutu aduerſari videri poſſint, in his maxime tranſitus vocula καὶ τότε, ſequentia cum priori hymno manifeſte connectens: porro fabulae, quae hic narratur, cum oraculi condendi illa, ad tempus ſi ſpectes, intima

x) Hinc *Cretes*, cum Dryopibus et Agathyrſis, ſacris Apollinis praefectos, ad Delum traduxiſſe Virgillum Aen. l. IV, v. 144 - 147 docte conijcit Ill. Heyne in Exc. ad h. l. T. II. p. 449. Vnde vel impedito alias Tibulli loco Eleg. IV, 1, 8. „Etiam Phoebo gratiſſima dona Cres tulit„ lux affunditur, vbi inter varia Interpretum commenta Barthius vnice audiendus, quippe qui in Aduerſar. III, 6 poetae verba ex hymno noſtro illuſtrat. cf. Heyne V. Ill. ad h. l.

intima coniunctio et affinitas. Enimuero haec omnia vix quicquam, nisi id modo probant, hymni huius fragmentum loco perquam commodo a librariis attextum esse. Contra vero argumentorum, quae pro parte mea pugnant; vt diuersam, quam innui, elocutionis indolem omittam, fabulae in ceteris hymnis obseruatam vnitatem nec commemorem; omnis vis tum maxime cernitur, si vtriusque carminis duo loca inter se compares, alterum v. 385—387.

— — — — ἔνθα δ᾽ ἄνακτι
πάντες ἐπίκλησιν Δελφουσίῳ εὐχετόωνται,
οὕνεκα Δελφούσης ἱερῆς ᾔσχυνε ῥέεθρα.

alterum v. 495. 96.

ὡς ἐμοὶ εὔχεσθαι Δελφινίῳ. αὐτὰρ ὁ βωμὸς
αὐτὸς Δελφίνιος καὶ ἐπόψιος ἔσσεται αἰεί.

ex quibus nempe *peculiare singulis hymnis consilium* ac rationem inesse facile perspicias, alterum Apollinis *Delphici*, alterum Apollinis *Delphinii* laudem complecti *y*). Quodsi igitur v. 388. aliud fragmentum incipere verisimillimum sit, exordium hymni periisse, quisque nec me monente intelliget. Forte etiam versus tres priores, 388—390, ab eo, qui diuersa haec hymnorum in Apollinem fragmenta collegit et descripsit, consilio satis obuio, adsuti sunt; quo concesso, omnis rationis illius, ab intimo propositionum nexu repetitae, vis prorsus euanescit.

Hymno igitur ita excusso, (vt paucis dicta repetam) quinque a se inuicem diuersa fragmenta secerni

y) Apollo *Delphinius* scilicet vocatus est a *Delphino*, cuius assumta forma nautis adparuerat. Verum hunc cognominis sensum esse, docent auctores a Ruhuken. V. C. laudati, Ep. Cr. I, p. 25, 26. cf. Spanhem. ad Call. H. in Ap. 101.

cerni posse, apparebit: in his quidem *tria integriora*, vnum *Apollinis Delii* (v. 19 — 178.) alterum *Delphici* s. *Pythii* (v. 207 — 387.) tertium *Apollinis Delphinii* (v. 388 — 546) laudes celebrantia: *duo breuiora*, in quorum altero canitur *Deus inter Diuos receptus* v. 1 – 18; altero *idem in Olympo, inque lectissimo Immortalium consortio*, Musicae saltandique artis oblectamentis indulgens. v. 179 — 206.

II. Hymnus in Mercurium.

De argumento huius hymni vniuerse iam monui. Poetae propositum fuit, *natalitia Dei* praedicare. Inuocata igitur Musa, narrat, Mercurium e clandestino *Iouis* cum *Maia* (Atlantis filia) congressu, in *Cyllenio*, Arcadiae monte, natum, mox, cunis vltro relictis, *ad inuestiganda Apollinis armenta* antro egressum, in *testudinem* incidisse — v. 24. Inserto hic breui, de cithara inuenta, episodio — v. 64. z) Dei ad Pieriam vespertinum iter describitur. Ibi pascentes Apollinis vaccas, quinquaginta numero, abigens Mercurius, dolis, vt vestigia celaret, callide adhibitis, Arcadiam versus pellit, commonefacto ante sene, *Onchesti*, rustico, dum praeterit Deus, operi intento: ne, quem deprehendisset furem, cuiquam monstraret — v. 93. Mactatis inde duabus vaccis, reliquis Pyli, ad Alpheum flumen, stabulo inclusis, tacite antrum ingressus puer diuinus, in cunabula iterum se condit, ibique matris increpantis ipsum curas animosa oratione dissipat. — v. 181. Iam prima oborta luce, Apollo greges quaerens abactos, cum

 On-

z) Ne dictum episodium alienum hoc loco forte putet aliquis, cogitandum, viam sibi ita muniisse poetam, qua numina sibi inuicem irata in amorem redire faceret. cf. v. 418 sqq. Igitur nec sic perit argumenti saepius inculcata vnitas.

Oncheſtii ſenis indicio, augurio inſuper monitus, Mercurium furti auctorem comperiſſet, antrum Maiae adit — v. 234. Oritur inter vtrumque Deum altercatio, fiunt iurgia primum, mox rixa, adduntur minae; nihilominus factum, cuius ab Apolline inſimulatur, peruicaciter negat Mercurius. Tandem in Ioue contentionis arbitro eligendo vterque conueniunt — v. 312. Vertitur nunc in Olympum ſcena. Agitur cauſſa coram ſollemni Deorum conſeſſu, Ioue iudicii praeſide. Hic, filiorum animos facile placans, perſuadet Mercurio, vt, Pylum deſcendens, armenta Apollini reddat — v. 417. Verum audito recens inuentae citharae ſono, ſuauiſſimoque numinis cantu, mirans artem Apollo, redintegrata cum Mercurio amicitia, citharam ab eo dono accipit, ipſe armentorum curam Mercurio iniungit. Ita mutui amoris dato pignore, in Olympum reuerſi Dii a Ioue laete excipiuntur — v. 507. Hoc loco accuratius inſpecto quin hymnum finiri credam, vix mihi temperare poſſum. Quae iam ſequuntur inde a v. 508, haud dubie alterius hymni fragmenta ſunt, nec haec quidem inter ſe cohaerentia. Vſ. 508. 509. enim

Αὐτὸς δ' αὖϑ' ἑτέρης σοφίης ἐκμάσσατο τέχνην
Συρίγγων ἐνοπὴν ποιήσατο τηλόϑ' ἀκουστήν.

ex noua interpolatione ortos eſſe puto, forte a Grammatico quodam inſertos, qui etiam σύριγγος a Mercurio inuentae meminerat. v. Apollod. III, 10, 2. Ἑρμῆς δὲ ταύτας (τὰς βοας) νέμων, σύριγγα πάλιν πηξάμενος ἐσύριζεν. Ex quo loco vel apparet, fabulam hanc quoad tempus ab ea, quae in hymno noſtro continetur, prorſus diuerſam eſſe. In libris enim quos exſcripſit Apollodorus, σύριγγος inuentio ad id tempus relata fuerit neceſſe eſt, quo Mercurius armenta ab Apolline accepta paſceret. Vltimum hoc

hoc vero in Hymno plane omittitur *a*). Contra vtrumque Deum *in Olympum rediisse* vidimus. — Sequitur tum a vſ. 510. vsque ad finem hymni (v. 577.) aliud fragmentum, in quo poeta, aut ingenio ſuo indulgens, aut ad mythi cuiusdam auctoritatem, *virgae* (quod inſigne perpetuum Mercurii haberi notum eſt) Mercurio tributae rationem reddere tentauit, ſimulque ad aliam fabulam reſpexit, nempe Mercurii Apollinem vaticinandi artem rogantis. Mythum hunc hymnographus ita extulit, vt Mercurius ab Apolline quidem repulſam ferens, ad *Moeras* tamen ſub Parnaſſo habitantes, vt ab iis fata diſceret, ablegaretur. Ceterum nec repugnem, ſi totum pannum, inde a vſ. 508, ex vno eodemque hymno adſutum eſſe contenderis. Cui opinioni fidem facere videtur Apollodori locus, in quo Mercurius, ῥαβδῷ, pro tibia Apollini dono data, accepta, praeterea vaticinandi artem poſtulaſſe narratur *b*). Attamen in hymni fragmento nihil occurrit, vnde coniicias, virgae munere Apollinem fiſtulae donum compenſare voluiſſe. Mercurii autem, vt diuinationis munera impetret, poſtulata, tantum ex Apollinis verbis, vſ. 530:

Μαντείην δὲ, φέριστε, Διοτρεφὲς, ἣν ἐρεείνεις
Οὔτε σε θέσφατόν ἐστι δαήμεναι etc.

elicias; in praecedentibus enim de precibus his nihil monuerat poeta. Vnde poſt vſ. 509 excidiſſe nonnulla

a) Innuit tantum poeta, vaccas ad pratum ſe conuertiſſe; ne diſerte quidem, quale hoc pratum ſit, indicat. v. vſ. 500. ἔνθα βόας μὲν ἔπειτα ποτὶ ζάθεον λειμῶνα Ἐτραπέτην· αὐτοὶ δε . . . . Ἄψοῤῥοι πρὸς Ὄλυμπον ἐῤῥώσαντο.

b) Apollod. III, 10, 2. Ἀπόλλων δὲ καὶ ταύτην (σύριγγα) βουλόμενος λαβεῖν, τὴν χρυσῆν ῥάβδον ἐδίδου, ἣν ἐκέκτητο βουκολῶν. ὁ δὲ καὶ ταύτην λαβεῖν ἀντὶ τῆς σύριγγος ἤθελε, καὶ τὴν μαντικὴν ἐπελθεῖν.

nulla, erit, confitendum. Interea quam variauerint poetae in ornandis his et similibus fabulis, nisi aliunde satis constet, vel ex Apollodori loco commemorato discas, vbi nihil de *Moeris* c) dicitur, contra narrat auctor, Apollinem *diuinandi per sortes* artem Mercurium docuisse.

At de vniuersa gregum a Mercurio abactorum fabula, conferendi sunt Apollod. l. d. et Antonin. Lib. c. 23. Add. Ouid. Met. II, 679—708. Eius mentionem quoque fecit, addito insuper alio furti exemplo, Schol. Hom. Il. ω' 24. d). Collatis his mythogra-

c) Ad Moeras s. Parcas, diuinationis addiscendae caussa, ablegari Mercurium, inde profectum puta, quod Parcis, tanquam *Iouis filiabus* (cf. Hesiod. Θ. 903. Apollod. I, 3, 1.) fatorum praesagia contigisse ferebant. A *Ioue* enim constat omnem diuinandi vaticinandique artem primum deriuatam esse. v. Aeschyl. Eumen. 19. Callim. H. in Jov. 69. Lav. Pall. 121. coll. 132. Virg. Aen. III, 251. Hinc Iupiter Μοιραγέτης dictus, quo cognomine aram Olympiae ei dicatam refert Pausanias Eliac. l. V. c. 15. p. 414. Ἰόντι δ' ἐπὶ τὴν ἄφεσιν τῶν ἵππων ἔστι βωμός· ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτῷ Μοιραγέτα. δῆλα οὖν ἐστιν ἐπίκλησιν εἶναι Διὸς, ὃς τὰ ἀνθρώπων οἶδεν, ὅσα διδόασιν αἱ Μοῖραι, καὶ ὅσα μὴ πέπρωται σφίσι. Aram hanc iuxta positi erant Parcarum et Mercurii βωμοί: πλησίον δὲ καὶ Μοιρῶν βωμός ἐστιν ἐπιμήκης, μετὰ δὲ αὐτὸν Ἑρμοῦ. Add. simulacrum Iouis Μοιραγέτου ap. Paus. VIII, 37. p. 675. X, 24, p. 858. vbi Apollinis ita denominati signum quoque occurrit. cf. Bergler ad Alciphr. I, 20, p. 78. Inde Parcae proximum Ioui locum tenere dicuntur, vt in Euripidis versu, ex deperd. *Pelei* dramate, seruato, ap. Stob. Ecl. Phys. c. 9. κλῦτε Μοῖραι Διὸς αἵτε παρὰ θρόνον ἀγχόταται ἥμεναι.

d) Totum commentum aetatem, qua excogitatum fuit, si quid aliud, redolet. Furta enim, fraudes, insidias, prisci homines pro insigni sollertis ingenii documento habuere: quid igitur mirum, si easdem ingenii dotes ad Deos, sibi in totum fere similes, transferrent, cum magnam illis prudentiam esse declarare

thographorum poetarumque locis, diuerſa narrandi ratio, diuerſus fabulae ornatus, in ſingulis fere elucebit. E qua varietate vnum hoc pro conſilio noſtro enotare ſatis erit, boum indicem, Antonino Lib. et Ouidio *Battum* appellatum, ab hymni auctore in *Onchesti*, Boeotiae vrbis, regione poni, cf. vſ. 88 ſqq. 186 ſqq.; ceteros fabulae huius enarratores *Arcadiae* accolam eum facere. Videtur igitur hymnographus antiquiorem poetam ſecutus eſſe, forte *Heſiodum*, quem cum inter auctores fabulae referat Antoninus l. c. *e*), primum ad *Boeotiam* mythum deflexiſſe, coniectare licet *f*).

Ceterum in carmine hoc plura nitere praeclare dicta, et antiquae poeſeos ſimplicitatem mirifice adumbratam eſſe, vnusquisque fatebitur. Vbique fere rerum naturam pulcre ſecutum eſſe poetam vides, eamdem tamen egregiis nec nimis cumulatis ornamentis condecoratam exhibuiſſe, vt adeo multo magis doleas, hymnum tot corruptelarum ſordibus maculisque inquinatum ad tempora noſtra perueniſſe. Placent in primis ſuaues narrationi intextae comparationes: vſ. 43 — 46. 55. 237. Oblectant viuidae adeo rerum geſtarum deſcriptiones, vt omnia coram agi credere animum facile inducas, v. c. vſ. 108 — 124. 150 — 153. 246 — 253. Detinet denique lectorem mira poetae

 in

pate vellent. Itaque vehementer errant, qui hic et in ſimilibus cauſſis poetas antiquos impietatis ac neſcio cuius tandem ſceleris incuſare non reformident. Nec minus peculiare hoc furtorum genus vltimae antiquitati accommodatum iudicaueris, vtpote cui, praeter greges et armenta, fere nullae erant diuitiae.

e) Attigit fabulam Heſiodus, teſte Antonino, in μεγάλαις Ἠοίαις, carmine, ſi pulcerrimum Ἀσπίδος fragmentum excipias, deperdito.

f) cf. de fabula hac ſcite differentem nobis Amiciſſimum *Mellmannum*, in docta commentatione, mox typis vulganda, *de Metamorphoſeon Ouidii fontibus*.

in moribus perſonarum depingendis ars. Quid Mercurii ſermonibus (vſ. 260—277.) ad callidum, verſutum, variis dolis exercitatum ingenium declarandum, pulcrius aptiusque excogitari poteſt? Quam lepide idem a crimine, cuius inſimulatur, coram Ioue ſe defendit vſ. 368—386! Quid verius ad rerum naturam expreſſum, quam agricolae illius oratio vſ. 201—211? Vides haeſitantem ſenem, mandatorum quippe, quae a Mercurio acceperat, bene memorem, adeoque dubitanter, ac per ambages, furti auctorem indicantem. Quae omnia fuſius perſequi, inque congerendis excutiendisque pluribus locis multum videri velle, res haud adeo difficilis foret; nobis tamen in hac rerum copia pauca haec velut digito tantum monſtraſſe ſufficit.

III. Hymnus in Venerem.

Carmen hoc, modo argumentum ſi ſpectes, modo dictionis ornatum et elegantiam, digniſſimum eſt, quod cum pulcerrimis antiquae poeſeos monumentis contendas. Fabulae, quae materiem hymno praebuit, fundus quidem Homericus eſt. v. Il. ε' 247. 248. 313. quo vltimo loco Venus Aeneam filium, ex Anchiſae bubulci concubitu natum, e certaminis cum Diomede ſummo diſcrimine eripiens fingitur. At in Homero vt plurimarum fabularum, ita huius tantum prima ſemina ſparſa vides, a ſequioribus demum poetis, tum cyclicis appellatis, tum Tragicis, excepta atque adeo culta, vt noua inde carmina prodirent. Similiter hanc de Veneris et Anchiſae congreſſu fabulam, quam modo attigerat Homerus, iis maxime carminibus, quae *Antehomerica* ſ. res geſtas Iliadem antecedentes complectebantur, celebratam eſſe coniicio ex Schol. ad Il. υ' 307. Scholii auctor Venerem ibi tradit oraculi, quo

quo, Priamidarum imperio diruto, Anchiſae poſteri regno Troiano vt potirentur, ſancitum eſſet, bene memorem, poſtquam ex Anchiſe Aeneam peperiſſet, Paridi Helenae amorem raptusque conſilium inſtillaſſe, vt hoc modo diſcordiarum inter Graecos ac Troianos mala diſſeminans, oraculi euentum accelераret. Quae narratio, Scholiaſta teſte, *Acuſilao Argiuo* debetur, vtpote quem inter primos fuiſſe, qui antiquiſſimos mythos hiſtoriasque partim e cyclicorum poetarum carminibus colligerent, ſatis conſtat. Nec adeo difficile videtur coniectura aſſequi, quo potiſſimum auctore ab Acuſilao tradita haec ſint. *Cypria* enim *Carmina*, τὰ Κύπρια ἔπη, Staſino Cyprio vulgo adſcripta, nec non Herodoto, Ariſtoteli, aliis, laudata, (Cf. de his Ill. *Heyne* ad Virg. Aen. T. II. p. 229.) quantum ex Herodoto II, 117. aſſequi licet, in Antehomericis enarrandis ſubſtitiſſe probabile ſit, eademque fabulas, temporis hoc ſpatio circumſcriptas, ſatis copioſe expoſuiſſe aliunde conſtat. v. Athen. XV, p. 682. cf. Ill. *Heyne* l. d.; vt hunc igitur, de Anchiſae et Veneris amore, mythum in carminibus iſtis fuſius tractatum fuiſſe, cum probabilitate coniicias. Quae hic appoſui, firmantur ea quodammodo *Argumento Cypriorum* Mſc. e *Chreſtomathia Procli* petito, cuius inſpiciendi copiam fecit ſingularis *Tychſenii* V. C., qui illud, ex Cod. Eſcurialenſi deſcriptum, mecum communicauit, humanitas. Ibi Paridis iudicio expoſito, ita pergit Proclus: ἔπειτα δὲ Ἀφροδίτης ὑποθεμένης ναυπηγεῖται (Ἀλέξανδρος). καὶ Ἕλενος περὶ τῶν μελλόντων αὐτοῖς προθεσπίζει· καὶ ἡ Ἀφροδίτη Αἰνείαν συμπλεῖν αὐτῷ κελεύει. Forte igitur hic locus erat intextae, de Aeneae natalibus, fabulae, quam ab argumenti huius auctore, quem potiora tantum carminis momenta et capita breuiter perſtrinxiſſe ſcias, omiſſam eſſe, ne mireris. Habes itaque, vnde Hymnum in Venerem expreſſum eſſe probabiliter

 dixe-

dixeris; cui coniecturae vel hoc insuper accedit, quod *de Tithono ab Aurora rapto* mythus, hymno nostro insertus (vs. 218-238.), ad *Cyprias fabulas* referendus est, quandoquidem Cyprii ab Aethiopibus, ad quos fabulam hanc proprie spectare in confesso est, ortos se iactabant. v. Apollod. III, 14, 3. coll. III, 12, 4. et ad eum Not. P. II, p. 821. sqq. coll. p. 755. 56. Quamobrem si hanc quoque fabulam ad *anteriora* Iliadis pertinuisse memineris, (Tithonus enim Laomedontis filius, Priami frater, perhibetur) eam prae ceteris a Stasino Cyprio carmini intextam esse, vix dubitandum. Fac igitur hymnographum encomii materiem, quamuis ad carminis sui naturam, rationem atque consilium attemperatam, a Stasini Cypriis ἔπεσι mutuasse; nec miraberis, cur illud ceteris tantopere praestet, vt ὁμηρικώτατον iure appellari debeat. Cypria enim Carmina Homericorum virtututes paene adaequasse, ex communi iam Herodoti aetate increbrescente opinione, ea Homeri partum esse, colligo, cui Herodotus quidem repugnat, (l. II, c. 117.), sed solummodo narratatum rerum, ab Homericis fabulis, diuersitate ductus.

Restat, vt de hymni dispositione nonnulla subiiciam. Orditur poeta a laudibus infinitae, qua gaudet Dea, in omne animantium genus potestatis atque imperii *g*), quod tantum esse affirmat, vt ei, si tres modo Deas, Dianam, Mineruam et Vestam, excipias, nullus immortalium non pareat. — v. 35. Quid? quod ipse Iupiter altitonans Veneris ludibriis saepissime

g) Spectat id haud dubie ad antiquissimum mythum, quo *rerum naturam* Veneris persona adumbratam esse, vel ex Hesiodeo commento elicias. Suauissimos versus Lucretius in splendido carminis sui exordio, sed magis elaboratos, ornatos et amplificatos exhibuit.

me obnoxius, mortalium feminarum amore deperiit. Enimuero hoc ipſo meruiſſe Deam puta, vt a Ioue ſimili furore mentisque dementia puniretur — v. 52. Graui igitur *Anchiſae* bubulci amore perculſa Venus, Paphi templum adit, ibique pulcris veſtibus variisque ornamentis induta, ad Anchiſae, in Ida monte, tugurium properat — v. 90. Sequitur ſuauis Deae, Otrei, Phrygiae regis, filiam ſimulantis, cum paſtore confabulatio — v. 154; tum ipſe congreſſus — v. 167; quem excipit Veneris oratio, qua tum Anchiſae metum, agnita Dea, animo conceptum eximit, eumque, prout totum Dardanorum genus, Diis perquam carum eſſe, Ganymedis, Trois, Tithoni, exemplis commemoratis confirmat, tum Aeneae partum praeſagit. Finito demum ſermone in caelum redit — v. 290 *h*).

IV. Hymnus in Cererem.

Quem vniuerſum Hymnorum Homericorum — quantum ex paucis quidem, quae ſuperſunt, reliquiis integrioribus coniectare licet — characterem ita finiuimus, vt non epica oratione ac metro ſolum com-

h) Vs. 259-273, qui dulciſſimi de Nymphis mythi locus claſſ. habendus, nolim tamen huc immigraſſe. Laciniam hanc enim ex alio carmine e margine in textum irrepſiſſe, facile agnoſcas. Et in ſequentibus nonnulla turbata ſunt, de quibus monuit iam Erneſtius ad vs. 279, quem vide. — Ad loca praeclara huius carminis, quamquam, vbi omnia nitent, quid pulcrius, indicare difficile ſit, referam Veneris a Gratiis exceptae et ornatae deſcriptionem v. 58-65. coll. v. 86-90; pudoris virginei ſigna ſuauiter adumbrata v. 156 (vbi cf. ſimilem loc. in Theocriteis, ſed noſtro multo inferiorem, Id. XXVII, 69. add. Apoll. Rh. I, 790); porro ſeneſcentis Tithoni imaginem v. 228. 29; denique imperii, quod in Deos exercuerat Venus, oſtentationem v. 251. quam pulcre excipit facti, a bona Dea commiſſi, poenitentia. v. 252 ſqq.

compositi essent, sed argumenti vnitate etiam ad ἐποποιΐαν proxime accederent: is reperietur etiam in hoc dudum iam deperditis annumerato hymno, quem primis, iisdemque tantum non nouissimis curis *i*), ita perpolitum et ornatum dedit Ruhnkenii, Viri Summi, doctrina, vt, cum ceteris huius generis carminibus aeque bene actum esset, vehementer optaremus. — Hymno Cereri et Proserpinae (μεγάλαις θεαῖς *l*)) a poeta dicato v. 1. 2, huius, puellae, inter Oceanitidas in campo *Nysio* *m*) flores legentis, raptus describitur — v. 39. Luctus inde matris et errores — v. 50. quibus per nouem dies continuatis, obuia fit Hecate. Pergunt ad solem vtraque, raptus auctorem sciscitantur; quo comperto Ceres Diis infesta, eorum vitans consortium, aniculae adsumta forma, ad Parthenium fontem prope Eleusina considit v. 104. Ibi a Celei, Eleusinii regis, filiabus inuenta et comiter excepta, mox in parentum, Celei et Metanirae, aedibus nutricis munus obit. — v. 189. (Inducitur hic *Iambe* ad exhilarandam Deam, filiae desiderio contabescentem moesteque sedentem, dicteria et iocos iaciens — v. 205). Interea Demophon, a Dea nutritus, mirifice crescit.

i) *Versio* Hymni et *emendationes* nonnullae ex Italia nuper prodiere: illa a Marchione *Pindemontio* confecta, hoc tit. vulg. Volgarizzamento dell' Inno a Cerere scoperto ultimamente ed attribuito ad Omero. Bassano 1785, 8; hae ab *Ignarra* editae: Emendationes hymni Homerici in Cererem. Neapol. 1784. 8. Vtriusque censuram v. in Ephemer. Lit. Gotting. 1786. p. 362. Sed nouam Hymni recensionem, Cod. Moscov. denuo coll., a *Mitscherlichio* V. Cl. paratam, et, quod sciam, sub prelis iam sudantem, auide exspectamus.

l) v. Soph. Oed. Col. 673. Pausan, VIII, 31, p. 664.

m) Nysa h. l. *Cariae* vrbs intelligatur, v. Strabo XIV. p. 960. cf. Ruhnken. V. C. ad v. 17.

crescit. Sed ecce! cum puerum noctu, vt immortalis fieret, igni occultaret diuina nutrix, a Metanira matre, quondam id obseruante, grauiter increpita, mulieris stultitiae irascens, filium igni ereptum in terram deponit, Cererem se esse pronuntiat, additisque, de *templo* et *orgiis* ad *fontem Callichorum* sibi condendis, mandatis, diuina rursus specie induta abit — v. 281. Peractis postridie, quae iusserat, cum immortalium plures legationes, vt imminens mortalibus, ob retentas fruges, calamitas auerteretur, ad Cererem, in templo recens exstructo nunc commorantem, frustra missae essent: tandem Proserpina, Iouis iussu, a Mercurio ex Orci tenebris reducitur, hactenus tamen Plutonis mariti fraude decepta, quod, gustato mali grano, reditus necessitas ipsi fatalis facta est — v. 385. Recuperata igitur filia, Rheae insuper, cum iteratis promissis a Ioue missae, adhortationibus precibusque commota Ceres, steriles agros rursus fruges emittere iubet, sacra ac mysteria veneranda instituit, adeoque cum nata, tres anni partes in matris, vnam in mariti, Inferorum Dei, contubernio mansura, ad Olympum rediens, Immortalium coetui sese immiscet — v. 489. Adduntur aliquot versibus preces ad *θεὰν καὶ κόρην* directae, vt initiatis propitium numen suum annuant, vitaeque bona qualiacunque largiantur. Itaque apparet, sacrorum Eleusiniorum, in agriculturae frumentique primum inuenti memoriam a Cerere conditorum, originem in hymno celebrari, pertextis idcirco fabulis, quae in sacris his a choro agi solebant. Nec dubito, quin ἴυλος hic *n*) factus sit a poeta, vt in Eleusiniis festis caneretur, quemadmodum

n) Ita appellari hymnos in Cererem conditos, notum est ex Athen. XIV, p. 618. Pollux I, 38. cf. Spanh. ad Call. Hym. in Cer. pr.

dum similem, in Thesmophoriis decantatum, exhibuit Callimachus. Id quod vel hymni epilogus, nisi is a seriori manu attextus est, declarare videtur. Refert enim hymnorum, qui ad teletas facti, indolem, quamobrem in Orphicis frequenter animaduertitur, et redit infra in Hymno in Matrem Omnium XXXI, quem etiam ad Orphicos supra reiecimus. Auctorem vero hymni, quo minus cum Sum. Ruhnkenio, statim post Homerum vel Hesiodi aetate vixisse, opinante faciam, impedit splendidus de mysteriis Eleusiniis locus v. 483—487. in quo nimirum notiones contineri arbitror, a prisca illa aetate alienas, et seriori multo tempori accommodatas, cum subtiliora philosophemata in teletis his tradi coeptum esset, vnde vel voces istae ὄπωπεν, ἀτελὴς, quatenus maiorem animi perfectionem, ad quam initiatos in mysteriis adduci putabant, vitaeque futurae signa velut adumbrata inuoluunt, mihi repetendae videntur. v. Cic. de Legg, II, c. 14. Quaest. Tusc. I, c, 12. in Verr. V, c. 72. — Certius est, plures huius argumenti hymnos olim exstitisse; in his diserte laudatur a Pausania (l. I, c. 38. 39. IX, c. 31.) Cereris encomium, quod sub *Pamphi* nomine circumferebatur o), ad cuius exemplar, nostrum, Homericum vulgo dictum, perscriptum esse, ob narratae fabulae cum iis, quae e Pamphi hymno enotauit Pausanias, conuenientiam, probabiliter coniicit Ruhnkenius ad v. 99 et 105. Fabulam ipsam denique qui accuratius cognoscere cupiat, is adeat Pausan. l. c. Ouid. Fast. IV, 554 sqq. Hygin. F. 146. 47. prae ceteris vero Apollod. I, c. 5. ibique subtilissimum huius vt omnium antiquarum fabularum Interpretem in Not. ad Apollod. P. I, p. 55-67.

Quae

o) Aliud *Musaei* cit. a Pausan. IV. 1, p. 281.

Quae ſequuntur Hymnorum aliorumue poematiorum fragmenta, de iis ſecundum ordinem ante expoſitum agam, adeoque

I. Primum de his dicam, quae ex *epicis* carminibus, vel *prooemiis* ἔπεσιν a Rhapſodis praemitti ſolitis, Hymnorum anthologiae inſerta eſſe, coniectura auguror.

1. IX. Εἰς Ἀφροδίτην.

Trinis verſibus Veneris pulcritudo ac munera, quibus ea beat mortales, celebrantur. Alteram tertii verſus partem: καὶ ἐφ' ἱμερτὸν · φέρει ἄνθος, aeque ac reliquos tres epilogi verſus, haud dubie Graeculo debemus, qui florem hunc neſcio cui ſublegens, in hymni formam redegerit. Vix enim ab antiquo poeta ἱμερτῷ προσώπῳ et ἱμερτὸν ἄνθος tam breui interuallo bis repetitum eſſet; vt taceam, vocem ἄνθος translato ſenſu ab antiquioribus poetis raro aut nunquam adhiberi, niſi addito, ad quod referatur, vocabulo, v. c. ἄνθος ἥβης Hom. Il. ν' 484. Hym. in Merc. 375. Heſiod. Θ. 988. Tyrtaeus I, 28. Theogn. v. 1001. A ſequioribus demum abſolute poni obſerues. v. c. Theocr. VII, 121. τό τοι καλὸν ἄνθος ἀπορρεῖ. — Δῶρα Ἀφροδίτης, quorum meminit poeta, nota ſunt vel ex Hom. Il. γ' 54. 64. add. Heſiod. Scut. 47. Orph. Prooem. Hym. 11. In epilogo, quo forte doctrinam oſtentare voluit bonus Grammaticus, *Salamis Cypri* intelligenda, quod auctor ipſe frigido additamento καὶ πάσης Κύπρου innuere videtur. Vrbem hanc a Teucro Telamonis filio, e patria Salaminia pulſo, in Cypri inſula conditam eſſe, conſtat ex Eurip. Helen. 144 ſqq. Strabo XIV, p. 682. Caſaub. Horat. I, Od. 7. cf. Ill. Heyne ad Virgil. T. II, p. 133. Sed totum hunc pannum inprimis ſuſpectum facit magna lectio-

lectionis varietas, quam Ruhnkenius V. C. e cod. Mosc. enotauit. Ibi versus ita leguntur:

Χαῖρε, μάκαιρα, Κυθήρης ἐυκτιμένης μεδέουσα
Εἰναλίης τε Κύπρου — — —

Scilicet in Fragmentorum horum epilogis Grammaticos, quorum ingenio eos fere omnes debemus, variandi puta effusam sibi licentiam dedisse; lectio autem valde fluctuans, certissimum haberi solet indicium, spuria adesse.

2. XIV. Εις Ηρακλεα Λεοντοθυμον.

In breuiusculo hoc fragmento fabularum, quae in Herculem Thebanum translatae sunt, velut cyclus quidam continetur. Incipit enim poeta inde a natalibus herois, pergit ad labores atque expeditiones, ab Eurystheo ipsi iniunctas, desinit tandem carmen Herculis apotheosi, et Hebes coniugio commemorato. Quocirca fragmentum hoc pro *exordio Heracleae* habuerim, cuius argumenti ac nominis plura in antiquitate carmina fuisse nunc deperdita, in his maxime nobilitata *Panyasis Halicarn.* et *Pisandri Camirensis* p), quis ignorat? Nec minus nota est consuetudo epicis poetis recepta, breue totius carminis argumentum in eius prooemio exponendi. Inscriptio cum epiphonemate ne moram aut iudicandi religionem cui iniicerent, iam alibi a nobis curatum est.

3. XV. Εις Ασκληπιον.

Nobile fuit, inque priscis fabulis et carminibus decantatissimum argumentum, cuius hic paucis mentionem

p) cf. Suidas v. Πείσανδρος. Fabric. B. Gr. l. II, c. XI. p. 442. Meurs. Rhod. II, 11. Ill. Heyne ad Virgil. T. II, p. 232 sqq. T. IV, p. 235 sqq. Not. ad Apollod. P. I. p. 326. P. III, p. 991. 996.

tionem fieri videmus. Nempe cum priscis hominibus quaeuis inuenta et artes, quid? quod omnis reconditior paullo scientia a Diis repetenda visa sit: quid mirum, *salutaris* quoque artis origines ad Deum, saltem Heroem diuinitus natum, eos transtulisse. Iam auctore artis huius fama semel accepto, et a poetis carminibus propagato, fabulam natiuam singuli mox, pro suo quisque consilio, varie tractarunt atque ornarunt. Fabularum hanc varietatem, quae de Aesculapio, eius natalibus, artisque editis miraculis ferebantur, exposuere Apollod. III, 10, 3. Schol. Pind. Pyth. 3. Pausan. II, 26. p. 170 sqq. Ex Apollodoro discimus *q*), poetas plures, *Panyasin r*), *Stesichorum s*), *Naupacticorum auctorem t*), alios, in commentis his enarrandis desudasse; vnde vel hanc pro hymni fragmento venditatam particulam ex aliquo horum carminum decerptam esse, credere licet. Quae in hymno nostro de Aesculapii stirpe traduntur, eum *Apollinis* e *Coronide*, *Phlegyae* nata, filium esse, in campo *Dotio* (Thessaliae ad Boebeidem paludem) partu editum, cum his consentiunt tum *Hesiodi* versus ex *Eoeis*, quos excitat Strabo IX, p. 442. XIV, p. 647. ed. Casaub; pleniores autem exhibuit Ill. Heyne ad Apollod. P. II. p. 695. sqq.; tum ipse Pindarus P. III, 14.

q) Sed v. Heynium V. Ill. ad h. l. qui spuria haec in Apollodoro et ex Scholl. Pindar. et Eurip. Alceit. 2. adsuta esse iudicat. in Not. P. II. p. 701.

r) in *Heraclea*, adeoque in bello cum Hippocoontidis. — cf. Heyne l. l.

s) in carmine Ἐριφύλη dicto. v. Sext. Empir. adv. Gram. I, 12, ex quo loco Apollodorum emendandum esse, docuit Id. ib.

t) Habetur is *Neoptolemus* v. Schol. Apollon. Rh. II, 299, s. quem alii edunt, *Carcinus Naupactius* v. Pausan. X, extr. cf. Ill. Heyne ad Apollod. P. III. p. 989.

14. 43. 60.; partim confirmantur ea Apollinis oraculo, a Paufania II, c. 26. p. 171. appofito, nifi quod ibi *Epidauri* genitus effe a Coronide Aefculapius traditur, cui commento Paufanias ipfe fauet, quoniam Aefculapii facra Epidauria in tota Graecia celeberrima fuere.

§. XVIII. Hymni Εις Πανα altera pars inde a vf. 28 — 47.

Cur fragmentum hoc a praecedente hymni particula fecernendum effe putem, plures funt, quibus adducar, rationes. Ac primo quidem pofterior hymni pars cum priori illa nullo, quantum intelligo, fententiarum nexu cohaeret. In altera enim v. 1 — 27. Pana celebrat poeta Nympharum comitatu ftipatum, per montium iuga, conualles, rupes, flumina errantem, tum venatione feffum, cantu ac faltatione, accinentibus Nymphis, fefe reficientem. Sane carmen hoc e dulciffimis eft, nec habere me profiteor, quod quoad fummam poetici fermonis venuftatem et elegantiam ei praeftare dicam. At, quod excipit encomium hoc fragmentum, v. 28 — 47, in eo *natales* Dei, in cuius laudes modo euectum poetam vidimus, exponuntur. Vt elocutionis minorem pulcritudinem, qua particula haec pollet, omittam, tamen confitendum erit, inuerfo ordine proceffiffe poetam, cui, ex more fere femper in hymnis his obferuato, a natalibus Numinis, quod praedicare vellet, carmen ordiendum fuiffet. Porro fi ad *vnum* auctorem hymnum referre velis, vix excufari is poterit, quod in carmine tam breui fe ipfe exfcripfit; quod factum tamen vides in Panos formae defcriptione v. 2, quae iisdem verbis redit v. 37. Iam perfpectum habuimus cultum habitumque

tumque Dei ferinum, cur denuo eum inculcat vates? Similis etiam orationis color reperitur in descripto, quo vtitur Deus, tegumento. v. 23. 24. coll. v. 42. 43. Enimuero, si prioris fragmenti finem:

ὑμνεῦσιν δὲ θεοὺς μάκαρας καὶ μακρὸν Ὄλυμπον.

cum sequentis initio v. 28.

Οἷον δ' Ἑρμείην ἐριούνιον ἔξοχον ἄλλων
ἔννεπον — — — — — — —

conferas, quoad sententiam omnia bene se habere videntur. Nempe hic sensus exit: Nymphae, quarum choro circumdatur Pan, Deos eorumque sedem, Olympum, celebrant. In his, quantis laudibus extollebant Mercurium? etc. Sed, ne temporum diuersitatem in ὑμνεῦσιν et ἔννεπον vrgeam, admodum vereor, ne versus ille ὑμνεῦσιν δὲ θεὰς etc. sit insititius, eoque consilio, vt sequentia antecedentibus iungerentur, a seriori manu adiectus *u*). Vehementer enim languet, nec statim succurtit, quo verbum ὑμνεῦσιν referas. Per quinque enim versus de Pane locutus erat poeta, cantum Nympharum auscultante. Vt paucis rem absoluam, in altera hac hymni parte *fragmentum Theogoniae* veteris cuiusdam poetae detexisse mihi videor, quorum carminum, praeter Hesiodeam superstitem, plura olim exstitisse, nota res. (cf. vel Diog. Laert. in prooem.) Vocula, a qua incipit fragmentum: οἷον δ' Ἑρμείην, satis docet, aliorum Deorum expositis amoribus, ad Mercurium nunc transire poetam. (ἔννεπον tum pro prima sing. accipiendum, aut, quod malim, Musae, carmen poetae ex more inspirantes, subintelligendae sunt). Quid? quod transeundi haec

 for-

u) Quae fraus facillime tum excogitari potuit, cum tegi, quandoquidem similes versus passim vel in ipsis Hymnis occurrunt; vide, quaeso, Hymn. in Apoll. 190. in Merc. 426. cf. Hesiod. Θ. 66.

formula in eiusmodi carminibus forte sollemnis fuerit? Exemplum saltem suggerunt Hesiodi inde-denominatae Ἠοῖαι s. κατάλογος γυναικῶν, cuius tituli rationem ingeniosam lepidamque magis quam veram attulit *Hermesianax*, Elegiar. venustissimus auctor; in fragmento eleg. ab Athenaeo (l. XIII. p. 597. B) seruato v. 21 — 26. *x*).

Fabula ipsa de Pane, e Mercurii cum *Dryope* Nympha congressu, nato, ex *Arcadicis* *y*) repetenda, forte, nisi omnis sola etymologia superstructa argumentatio nimis sit lubrica, ad *Pelasgicas* referri debet. (Arcades vero multas Pelasgorum stirpis fabulas sibi vindicasse, per se aliunde satis constat. cf. Ill. Heyne ad Apollod. P. II. p. 655. sqq.) Nymphae enim a Mercurio adamatae nomen, *Dryopum*, populi antiquissimi e Palasgica stirpe oriundi, memoriam excitat; quippe qui olim in Thessalia indigenae, cum ab Hercule deuicti essent *z*), per totam Graeciam terrasque finitimas dispersi, pars in Peloponnesum, maxime Argolidem emigrarunt. v. Herodot. VIII, 73. Strabo VII, p. 321. VIII, p. 373. C. *a*). Extremo loco Strabo, Ari-

x) Φημὶ δὲ καὶ Βοιωτὸν ἀποπρολιπόντα μέλαθρον
    Ἡσίοδον, πάσης ἤρανον ἱστορίης
Ἀσκραῖον ἐσίκεσθαι, ἔχονθ᾽ Ἑλικωνίδα κώμην.
    Ἔνθεν ὅγ᾽ Ἠοίην μνώμενος Ἀσκραϊκὴν
Πόλλ᾽ ἔπαθεν, πάσας δὲ λόγων ἀνεγράψατο βίβλους,
    Ὕμνων ἐκ πρώτης παιδὸς ἀναρχόμενος
cf. Ruhnken. qui totum fragm. ad calc. Ep. Crit. ornatius multo edidit, et locum hunc, quem apposui, vberius explicauit p. 289.

y) Pan Deus Arcadum. v. Pausan. VIII, 26. p. 652. Callimach. Hym. in Dian. 87. 88. Propert. Eleg. I, 18, 20.

z) cf. Apollod. II, 7, 7. Strabo VIII, p. 373. C.

a) Populi huius in diuersis regionibus dispersas colonias ad Vet. Auctor. loca subtilius persecutus est praestantissimus Apollodori Interpres in Not. P. I. p. 475 sqq.

Aristotelis auctoritate adhibita, meminit *Dryopis ex Arcadia orti*, qui stirpis suae coloniam in Asinen (ad sinum Hermion. Argolidis) transtulisse fertur. Vnde colligas, Dryopes etiam in Arcadia sedem collocasse; quo facilius assequi licet, quomodo Arcades fabulam de Panos, quem Dryopes Pelasgici e suae stirpis Dea s. Nympha ortum antiquitus ferebant, natalibus, ad se trahere potuerint. Ceterum Panos ortum quam diuerse tradiderint veteres, discas e Schol. Theocr. I, 3. Tzetz. ad Lycophr. 772. Apollod. I, 4, 1. Alii enim e Ioue et Nympha illum, alii e Mercurio et Penelope Vlyssis vxore genitum esse narrarunt. Vltimum hoc tenet Herodotus II, 145. cf. Hemsterhusius ad Lucian. DD. 22. *b*). Vnde nonnulli, vt in Mercurio, Aesculapio, aliis Diis, factum videmus, ad eam opinionem aberrarunt, vt Panes sumerent fuisse plures. Enimuero diuersas tantum fabulas, partim domesticas, partim peregrinas, maxime Aegyptiorum, (quorum *Mendem*, cum Pane Hellenum, propter solam formae similitudinem, contulere. v. Herodot. II, 46. Strabo XIV. p. 802. B.) in antiquissimum hoc a Pelasgis ad Hellenas traductum numen multorum temporum decursu translatas esse, tenendum *c*). Antiquissima aetate, id quod ipsum nomen indicare videtur, Pan *naturam*, *Vniuersum*, designabat, adeoque etiam, quae huic notioni fere semper annexa, *generandi vim.* Appellatus idcirco a vate mox commemorando Παντοφυὴς, γενέτωρ πάντων. Hinc in Orphica mysteria receptus, vbi Vniuersi hoc symbolo Pana

 cultum

b) Vtramque opinionem ingeniose conciliare studet auctor epigr. εἰς ἄγαλμα Πανὸς Anthol. IV, 12, 81.

c) Ita vel diiudicandum, quod Herodotus notat l. II, c. 145, Pana Graecorum Deorum omnium recentissimum haberi, quae alioquin concideret fabula, cum Apollinem vaticinandi artem a Pane didicisse alii narrarint v. Apollod. I, 1, 4.

cultum esse, ex hymno, qui inter Orphicos adhuc superest, videre licet. Incipit enim carmen:

Πᾶνα καλῶ κρατερὸν, νόμιον, κόσμοιο τὸ σύμπαν,
Οὐρανὸν, ἠδὲ θάλασσαν, ἰδὲ χθόνα παμβασίλειαν
Καὶ πῦρ ἀθάνατον· τάδε γὰρ μέλη ἐστὶ τὰ Πανός.

Ferina, qua indutus est, forma *d*), quaeque antiquissimo tempore omnibus Diis communis erat, vetustatem numinis redolet, quippe ab vltima inde aetáte repetenda, cum homines ferarum pellibus pro armis ac tegumentis vterentur. Mansit tamen, nescio quo casu, apud poetas et artifices, Panos haec species, atque ita tandem factum esse puta, vt *Deus siluestris* omninoque *ruralis* haberetur Pan *e*). Iam *Baccho*, vna cum Satyris et Faunis, comes a poetis additus *f*), in sacra Bacchica, ferae nempe ac siluestris vitae simulacra, receptus, denique, mero poetarum lusu, *Panes in scenam inducti plures*, quo maior in dramate satyrico personarum existeret varietas. cf. Ill. Heyne Antiqu. Abh. II, p. 70. sqq.

§. XIX. Εἰς Ἥφαιστον.

In Fragmento hoc, epici forte carminis, ad Vulcanum, quippe operum arte aliqua elaboratorum auctorem ac parentem *g*), etiam omnis humanitatis, ad quam

d) cf. Hym. Hom. v. 2. αἰγοπόδην, δικέρωτα. v. 23. λαῖφος δ' ἐπὶ νῶτα δαφοινὸν λυγκὸς ἔχει. add. Hymn. Orph. X, 5.

e) Inde Πᾶν νόμιος ap. Orph. l. c. Anthol. VI, 24, 4.

f) Hoc innuere voluisse fragmenti nostri auctorem puto, cum Bacchum noui Dei aduentu in primis exsultasse caneret vs. 45. 46.

πάντες δ' ἄρα θυμὸν ἔτερφθεν
Ἀθάνατοι, περίαλλα δ' ὁ Βάκχειος Διόνυσος.

g) Appellatus hinc in Hym. Orph. 65, 3.

Φωσφόρε, καρτερόχειρ, αἰώνιε, τεχνοδίαιτε.

Nempe cum per Vulcanum *ignem* declararet sermo antiquus, mox

quam ex immani et agresti vita exculti sunt mortales, primordia relata vides. Sed, ni fallor, quatuor tantum versus germani sunt; tres reliqui 5 — 7, etsi haud inuenusti, a commentatore profecti. Fraudem hanc multa arguunt: Ἥφαιστον ex primo versu languide repetitum: κλυτοτέχνην variatum, quod v. 1. κλυτόμητιν; ἔργα δαέντες, quod ante ἀγλαὰ ἔργα ἐδίδαξεν. Saltem vs. 5. a manu interpolatrice defendi nequit. Verum vt totum pannum de suo adderet grammaticus, potuit ipsis poetae verbis

οἱ τὸ πάρος περ
Ἄντροις ναιετάασκον ἐν οὔρεσιν ἠΰτε θῆρες.

facile induci, quanquam in his ex Homerici sermonis genio nil est, quod ad consummandam sententiam desideres. cf. Odyss. ω' 507. τ' 340. Il. μ' 346. ξ', 131.

6. XX. Εἰς Ἀπόλλωνα.

Quatuor hos versus e prooemio Rhapsodi cuiuspiam seruatos esse, tum verba ipsa fragmenti fidem faciunt:

σὲ δ' ἀοιδὸς ἔχων φόρμιγγα λιγεῖαν,
Ἡδυεπὴς πρῶτόν τε καὶ ὕστατον αἰὲν ἀείδει.

tum, quod a Musis et Apolline Musageta προοιμίων materiem trahere, sollemne erat Rhapsodis. Compa-

 rat

mox quaecunque artes s. artificia, ignis ope perficienda, in Deum hunc translata sunt. Ideo Χάρις, praeter Venerem, ipsi iuncta tradebatur. v. Hom. Il. σ', 382. Hesiod. Θ. 945. Pausan. IX, 35, p. 781. Lucian. DD.XV. ibique Hemsterh.; cumque *Mineruae* etiam artium primordia tribuerentur, vtrumque δημιουργῶν numen habitum est. v. Plato de Legg. XI, p. 617. Fragm. nostr. vs. 2. 3. Hinc quoque communis Mineruae et Vulcani cultus repetendus; facti sunt Dii σύνναοι. Ita v. c. vtrique vnum templum Athenis conditum fuisse, refert Augustin. de civ. Dei l. XVIII. c. 12. cf. Arnaud de Diis paredris p. 55.

rat carmen suum poeta cum cygni, Apollinis ministri, (θεράποντος) cantu. Olorum enim duplex cantus a scriptoribus memoratur, cuius alterius *fatidici*, quem moribundi emittere dicuntur, veterum satis trita sunt commenta, etsi pulcre a Philosopho in rem suam conversa. v. Plato in Phaed. 50. Aeschyl. Agam. 1455. 56. Opp. Cyn. II, 548. Cic. Tuscul. Qu. I, 30. Verius tamen, et in quo forte fabulosae narrationis illius fundum reperias, est hoc, quod in nonnullis terrae regionibus cygni vocem edunt amoenam, cuius rei testem fide dignum attulit Ernestius ad Callim. Hym. in Ap. 5. quippe qui cantum hunc in Islandia ipse se audisse affirmauit *h*). Nec mirum igitur, quod auis haec Apollini et Musis sacra habita est. v. praeter Fr. nostr. Callim. et Plat. ll. ll. Callim. Hym. in Del. 249. 52. Plura loca congessit Ruhnken. V. C. in Ep. Crit. II, p. 160. Praeterea notandum, in Fragm. nostro cygnos canoros in *Thessalia* ad *Penei* ripam poni, quorum patria vulgo a poetis et geographis in *Lydiae* seu Maeoniae eo tractu ponitur, qui a *Caystro* et *Pactolo* fluminibus irrigatur. Hinc Anacreonti Hym. in Apoll. p. 257. ed. Fisch. vs. 8. dictus κύκνος Καΰστρου, Πολιοῖς πτεροῖσι μέλπων Ἀνέμου σύναυλον ἠχήν. Add. Dionys. Perieg. v. 833. Ouid. Trist. V, 1, 11. Metam. II, 253. Callim. Hym. in Del. 250 ibique Spanh. *i*).

7. XXIV. Εἰς Μουσας και Απολλωνα.

Musarum hoc et Apollinis encomium e Theogoniae Hesiodeae prooemio v. 94 — 97. decerptum esse, supra monui. (v. Sect. I, p. 22.)

8.

h) Nec repugnat narrationi isti Vir Celeb. *Blumenbach* in praestantiss. libro, vernacula lingua scripto: Handbuch der Naturgesch. p. 193. 194.

i) Olorum ad Caystrum fl. meminit iam Homerus Il. β' 460. 61. sed de cautu eorum nil definit, nam qui sequuntur versus, de clangore et alarum crepitu, quem edunt volatu, explicandi sunt.

§. XXIX. Εἰς Ἀθηνᾶν.

Minervae natales, quos ſublimi hoc ac ſplendido carmine extulit poeta antiquus, quatenus, ſapientiam ſummo Numini ineſſe, veteres forte ſic declarare voluerunt, in Theogoniis frequenter adumbrati eſſe videntur; quocirca fragmentum hoc, de quo agitur, inde petitum eſſe, coniicere haud abſonum dicas. Fundus fabulae eſt ap. Heſiod. Θ. 924 — 926. Ibidem v. 885 — 899 commemorata ſunt, quae partum prodigioſum anteceſſere, a noſtro poeta vero praetermiſſa. Totam fabulam narrauit Apollodor. I, 3, 6. quem exſcripſit Schol. Hom. Il. α′ 195. Alludit eo auctor epiſodii (quod vel ipſum ex Theogonia veteri petitum eſſe, ſit probabile) in Hym. in Apoll. v. 308. 309. et Apollon. Rh. IV, 1310. Ceterum Vulcani, cui parturiente Ioue obſtetricias partes ab aliis aſſignari notum eſt *l*), in Fragm. nulla mentio fit: quod cum nec ab Heſiodo narretur, haud leui indicio eſſe poteſt, qualis antiquus fuerit mythus, abſurdo hoc commento nondum deprauatus. At ſummam in elocutione artem propterea maxime praedicauimus, quod, edito Virginis partu, Vniuerſum horrore impleri, coelum et terram miſceri, quin Solem equorum, *quos tamen labor eſt inhibere volantes*, curſum prae ſtupore diu retinere, ad commouendos affectus pulcre finxit poeta. Neque illud quoque parum grauitati carminis conferre mecum facies, quod Dea *armata*, haſtamque vibrans e diuino capite proſilit *m*); Quod quidem fabulae ornamentum, ſi Schol. Apollon. l. c. fides habenda, Steſichorus primus adhibuit *n*), vt inde frag-

l) v. Apollod. l. l. Lucian. DD. VIII.

m) cf. v. 4. 5. 7-9. Similiter Orphicor. auctor ap. Procl. in Tim. l. 1, p. 51. Mineruam naſcentem cum armis exhibet: ὅπλοις λαμπομένην χάλκιον ἄνθος ἰδέσθαι v. Fragm. Orph. a Geſnero coll. XXIX. p. 392.

n) in Encomio Palladis. cf. Steſichori Fr. a Cl. Suchfortio coll. p. 41. 42.

mentum hoc Stesichoro recentius esse, cum Ill. Heynio (ad Apollod. P. I, p. 40.) concludas.

9. XXXII. Εἰς Ἥλιον.

Solis, ab Hyperione, qui inter Titanes, Vrani et Terrae filio, fati numen ad antiquius mythorum systema spectat, quod, diuersis his, super rerum origine, prisci aeui sapientum placitis, a Poetis, Historicis ac Grammaticis, in temporum seriem successionemque redactis, medium inter Vrani et Iouis fabulas locum obtinuit. Tradita igitur eius cum Luna et Aurora sororibus prosapia in Cosmogoniis et Theogoniis v. Hesiod. 371—74. *o*) cf. Apollod. I, 2, 2. Hygin. F. p. 10. Schol. Apollon. Rh. IV, 54. Sed nouissimo, quod cum Ioue incipit, fabularum systemate recepto, mansit tamen, vt aliorum e Cosmogoniis numinum, ita *Solis* cultus, tum in religiosis quibusdam ritibus peragendis, v. c. iureiurando; Hom. Il. γ' 277. τ' 259. Hym. in Merc. 381.; tum in teletis, maxime Orphicis. v. Hym. Orph. 7. Praeterea ex fragmento hoc discimus, Solem etiam a *Rhapsodis* in epicorum carminum *prooemiis* nonnunquam inuocatum esse *p*). Eo enim referendi videntur epilogi versus, quos hoc loco vix spurios iudicaueris *q*):

Χαῖρε

o) Notanda in Solis matre fabularum diuersitas. Apud Hesiodum est *Thia* Hyperionis soror; in fragm. nostro, *Euryphaessa*. Alia insuper Hygino laudata, nempe Aethra. v. Itpp. Hyg. et Burm. ad Ovid. Met. IV, 191.

p) Quod qui fieri potuerit, facile est intellectu, si Apollinem in antiquioris Ἡλίου locum cessisse memineris; vnde, pro iisdem vterque a nonnullis habiti. v. Schol. ad Aristoph. Nub. 595. Epigr. in Anthol. V, 15 p. 386 ἠέλιος γὰρ Φοῖβος ἄναξ, καθαρὴν δὲ φέρει τηλεσκόπον αἴγλην.

q) Aliter se res habet cum simili epilogo Hymni in Lunam XXXIII, quippe quem a seriori manu ad praecedentis in Solem encomii modum attextum esse nullus dubito. v. infra inter Fr. Hym. Hom.

Χαῖρε ἄναξ πρόφρων δὲ βίον θυμήρε᾽ ὄπαζε
Ἐκ σέο δ᾽ ἀρξάμενος κλήσω μερόπων γένος ἀνδρῶν
Ἡμιθέων, ὧν ἔργα θεοὶ θνητοῖσιν ἔδειξαν

Hymni hoc epiphonema, opinor, manifeſte docet, totum fragmentum prooemii loco praefixum fuiſſe carmini maiori, in quo *Heroum ſtirpes*, forte etiam facta tractata fuerint *r*).

II. Excuſſis igitur Hymnorum Fragmentis, quae ex epicis carminibus vel prooemiis repeti poſſe viſum eſt, iam de iis breuiter dicam, quorum magna cum *Orphicis Hymnis* obſeruatur ſimilitudo, adeo, vt vel ad diſciplinae huius ſacra vere compoſita, vel ad hymnos, in ſacris his accini ſolitos, ſaltem conformata eſſe videantur. In cenſum hunc mea opinione *quatuor* potiſſimum poſſunt admitti:

VII. Εἰς Ἄρεα
XIII. Εἰς Μητέρα Θεῶν
XXIII. Εἰς Ἱστίαν
XXXI. Εἰς Γαῖαν Μητέρα Παντων.

De primo *in Martem*, quin ex Orphicis huc immigrarit, nemo dubitet. Nec aliter iudicauit, quem ſupra laudaui, Ruhnkenius V. C. in Ep. Crit. I, p.

r) Vt nonnulla huius argumenti carmina, nunc maximam partem deperdita, commemorem: pertinent huc, Heſiodi, ſcriptoribus ſaepiſſime laudatae, Ἠοῖαι μεγάλαι ſ. κατάλογος γυναικῶν ſ. Ἡρωϊκὴ γενεαλογία: in quibus Heroum e mortalibus feminis, quae Diis nupſerant, natorum proſapia et res geſtae tradebantur cf. Cl. Ruhnken. Ep. Crit. II, p. 289. et Heyne ad Apollod. III, p. 986. et pl. II. Porro Naupactica et Aſii Samii ἔπη, Heſiodi Eoeis adiuncta a Pauſania IV, 2. pr. coll. X, extr. p. 898. Eiusdem argumenti fuit *Piſandri Larandenſis*, etſi ſerioris multo poetae, carmen Ἡρωϊκαὶ θεογαμίαι inſcriptum, de quo v. Ill. Heyne ad Virgil. T. II, p. 233 ſqq. T. IV, p. 235. 36.

p. 60. Iam si ad Grammaticorum subtilitatem res mihi enuntianda esset, carmen hoc ad genus hymnorum εὐκτικὸν retulerim; cum contra, Homericos hymnos magis ad μυθικὸν ac γενεθλιακὸν reuocari debere; in aprico sit. In priori hymni parte v. 1 - 8, haud secus quam in Orphicis, coaceruata sunt numinis, quod inuocatur, epitheta, repetita illa cum a fortitudinis bellicae adeoque roboris immensi notione, quae Martis persona adumbrata est, tum a stellae nomine hoc insignitae situ ac natura. Inuocationem hanc excipiunt preces (v. 9 - 17) hominis magnam passi iniuriam; quam vt a se depellere possit, Martis auxilium virtutemque sibi exposcit, hactenus tamen, vt animi pugnam anhelantis furore alienatus ne grauiori calamitate obruatur, imo hostium vim effugiens pace legumque aequabilitate fruatur. Quae omnia e certa aliqua persona dicta esse debere, bene video, sed quae tandem fuerit illa, qua occasione, quo tempore carmen conditum sit, cum historicae rationes prorsus deficiant, definiri nequit.

In reliquis, quae Orphicae disciplinae vindicare tentauimus, hymnorum fragmentis, res quidem non tam expedita est; attamen non deest ratio, qua opinio nostra saltem ad probabilitatem possit adduci. Vt enim taceam, quamquam nec illud leue prorsus iudicandum, numina, quibus inscripti sunt hymni, Deorum matrem s. Cybelen, s. Rheam, Terram, et Vestam, in Orphicis initiis in primis culta esse: magis tamen huc facit, quod Hymnorum *argumentum*, in nonnullis etiam *elocutio* cum Orphicis supra iam laudatis 13. 25. 26. mirifice conspirat s). Hymni vero in *Vestam*

s) Vt firmetur iudicium hoc, age, dictos hymnos subtilius inter se conferamus. Igitur ad

Hym.

Vestam fragmentum (XXIII) nimis mutilum est, quam vt certi quid de eo statuere liceat. Interim, praeter rationem primo loco positam, versus, qui extremum proxime antecedit, quippe Orphicorum epilogis simillimus *t*), coniecturae nostrae locum dedit. Ceterum *Vesta*, de qua poeta canit:

'Απόλλωνος ἑκάτοιο
Πυθοῖ ἐν ἠγαθέῃ ἱερὸν δόμον ἀμφιπολεύεις.

hoc loco nihil aliud designari puta, quam *aram Apollinis Delphicam*, laudatam et Sophocli in Oed. Col. v. 426. 'Ανδρῶν θεωρῶν Δελφικῆς ἀφ' Ἑστίας, vnde Tragicis poetis passim etiam ἑστία seu ἕδρα μεσόμφαλος dicta, traducto tamen alibi hoc epitheto ad aliarum aedium aras v. c. in Agamemnonis Regia ap. Aeschyl. Agam. 1064, forte quod Vestae aram in penetralibus domus collocari, mos erat. Hinc ap. Orph. Hym. in Vest. 83. ἣ μέσον οἶκον ἔχεις cf. Spanhem. in doctissima comment. de Vesta et Prytanibus Thes. Graev. inserta T. V. p. 685. — Mox tamen ad aliud Vestae symbolum

Hym. Hom. XIII, v. 1. cf. O. XIII, 8. XXV, 1. XXVI, 7.
— — — v. 3. cf. O. XIII, 3. XXVI, 11. 13.
— — — v. 4. cf. O. XIII, 2. XXVI, 3.
— — — v. 5. cf. O. XIII, 5.
Hym. Homer. XXXI, 1–4. cf. O. XIII, 9. 10. XXV, 2. 3. 5. 6. XXVI, 8–10. 13.
— — — v. 6. 7. cf. O. XXVI, 7.
— — — v. 8. cf. O. XIII, 10. 11.

Sufficiant haec, vt insuper intelligas, quam in his ipsis teletis confusa sint inter se diuersa Cybeles, Terrae et Vestae numina, vt adeo singulis, quippe e diuersis Cosmogoniarum systematibus petitis, eadem fere attributa, virtutes, munia ac nomina competere videas. cf. Ill. Heyne in Not. ad Apollod. P. I, p. 15. Arnaud de Diis paredris p. 141 sqq.

t) Ἔρχεο τόνδ' ἀνὰ οἶκον ἐνηέα θυμὸν ἔχουσα. cf. epilog. Orphic. V. VI. VIII. XIII. XLVIII etc.

lum *u*) alludit Hymni noſtri auctor, verbis ſupra laudatis addens:

Αἰεὶ σῶν πλοκάμων ἀπολείβεται ὑγρὸν ἔλαιον.

Nimirum praeter *ignem* in *aris ardentem*, lampas etiam, quae in Deorum delubris, ac Prytaneis Graecorum appendebatur, Veſtrae ſacrata erat. cf. Spanh. l. c. Tandem quod in epilogo *Ioui* adiungitur Veſta, ſpectat id haud dubie ad antiquum mythum e cosmogoniis petitum. Veſta enim propter ignis cum aethere ſummam affinitatem, Iouis ſoror facta; ideo a *Pindaro* inuocatur (Nem. XI, 1):

Παῖ Ῥέας, ἅ γε Πρυτανεῖα λέλογχας, Ἑστία,
Ζηνὸς ὑψίστου κασιγνήτα καὶ ὁμοθρόνου Ἥρας.

Vtriusque numinis etiam cultus ac ſacra in iisdem templis ſiue aris inſtitui ſolebant, v. c. *Olympiae* v. Pauſan. V, 14. p. 411.

III. Hymni Dithyrambici.

Cognominis huius rationem ſupra declarauimus p. 23. add. not. p); nunc de ſingulis videamus:

1. IV. Διονυσος Η Λῃσται.

Carmen hoc ſatis integrum primus, quod ſciam, fabulae a ſequioribus poetis tractatae et variatae fons haberi debet. Ferunt nempe, *Dionyſum* valde puerum, cum in maris litore appareret, a Tyrrhenis nautis

u) Plura enim, quorum ex alio aliud ortum eſſe facile intelligas, in numen hoc translata eſſe, nota res. Modo *ignem*, modo *aram*, modo *focum* in genere, modo *domum* ipſam declarauit v. Schol. Apollon. I, 909. Confuſa eadem mox, vt monuimus iam, cum Terra, Matre Deûm, Cybele, Rhea.

nautis *x*), praedae intentis, conſpectum raptumque, numinis ſui vim variis declaraſſe prodigiis, quibus territi nautae, in mare proſilientes, Delphines facti ſint. Vulgo ad *Naxum* fabulam hanc legimus traductam v. Ovid. Met. III, 582 ſqq., qui adeo ex aliis fontibus eam deriuaſſe cenſendus; nulla enim apud noſtrum locorum fit denominatio *y*). Add. Apollod. III, 5, 3. Hygin. F. 134. Apponuntur paſſim, ſed diuerſo numero, piratarum nomina; quid, quod Delphinis inter ſidera effigiem, in transmutationis huius memoriam, in coelo collocatam eſſe, ex Aglaoſthene, Naxica qui conſcripſit, notat Hyginus Poet. Aſtr. XVII, p. 461. At haec et ſimilia fabulae ornamenta a ſerioribus demum poetis excogitata eſſe puta. Simplicior ideoque antiquior narratio in hymno noſtro exponitur *z*), quem tamen *epicorum carminum* fragmentis, de quibus in praecedentibus egi, adiungere malim. Poteſt forte e mortalium mulierum, quae Diis nupſerant, catalogo particula haec eſſe

x) Nempe ex *Pelasgis* Tyrrheni cogitandi, qui Lydiam incolerent v. Ill. Heyne Not. ad Apollod. P. II. p. 579. Itpp. ad Ouid. Met. III, 576.

y) Quod ipſum tamen pro opinione noſtra mox declaranda pugnare videtur. Quodſi enim carmen hoc *maioris fragmentum* ſit, in iis, quae cum anteceſſerant, tum exceperant particulam hanc, locorum, de quibus hic agitur, nomina forte definita eſſe potuere, quanquam nec minori cum probabilitate affirmaueris, antiquiorem mythum fama tantum obſcura ſuperſtructum, ſucceſſu temporis demum poetarum curis magis elaboratum, inque temporum ac locorum ordinem eſſe coactum.

z) Hunc, quanquam in nonnullis mutata narratione, preſſius tamen ſequi videtur Philoſtr. in Icon. XIX. Alia variata reperies ap. Nonnum Dionyſiac. l. 45. p. 766 ſqq. ed. pr.

esse seruata *a*), in quo, dum ad Bacchi e Ioue ac Semele orti, natales perrexerat poeta, fabula haec, quippe ad impuberem Liberi patris aetatem pertinens, carminis filo inserta erat. Id quod hoc loco vel ipsa hymni inscriptione firmari videtur, quae cur a ceteris in Hymnorum fronte obuiis, plane diuersa sit, vix alia mentem subit ratio, nisi quod cum titulo hoc fragmentum ipsum ex codice quodam, cui allitum erat, descriptum, inque hymnorum anthologiam conditum fuit, manente nihilominus, forte per librarii socordiam aut inscitiam, titulo Hymnis alieno. Carminis vero pulcritudinem praecipue in sublimi illa prodigiorum descriptione v. 35 — 42. 44 — 47. quisque nec me monente sentiet *b*).

2. XVIII. Hymni Εἰς Πανα prior pars v. 1 — 27.

De hymni hoc fragmento (vix enim integrum tenemus) vide, quae supra disputata sunt p. 50.

3. XXI. Εἰς Ποσειδῶνα.

Neptuni laudes, tum a muneribus, tum a locis ipsi sacris petitae, breuiter hic efferuntur. At quorsum referam carmen, non liquet. Aut cum aliis multis epici carminis, aut integrioris hymni fragmentum habeas, aut poetae cuiusdam *lusum* esse putes. Extremum hoc mihi quidem verisimillimum. Quae de epithetis

a) Nec repugnem si carmen potius iis poetis debere nos contenderis, qui Bacchi Thebani fabulas ἔπεσιν erant persecuti. Inter quos, praeter cyclicos, laudatur v. c. *Eumelus Corinthius*, poeta antiquissimus ἐν τῇ Εὐρωπίᾳ v. Schol. ad Il. ζ' 130, quanquam et hic cyclicis ab aliis annumeratur.

b) Ipse nonnunquam verborum ordo ac structura nescio quid miri infert v. c. v. 39. αὐτίκα δ' ἀκρότατον παρὰ ἱστίον ἐξετανύσθη Ἄμπελος ἔνθα καὶ ἔνθα, κατεκρημνῶντο δὲ πολλοὶ βότρυες.

thetis in Neptunum h. l. congeſtis forte moneri poſſint, cum notiſſima ſint, ſciens omitto. cf. vel Spanh. ad Callim. Hym. in Del. 30. 31 *c*).

4. XXXIV. Εἰς Διοσκούρους.

Forte initium Hymni in Tyndaridas, quod exceperat facti cuiusdam, ab heroum altero ſeu vtroque editi, ac fabulis celebrati, narratio, *epice*, adeoque, e *Homericorum Hymnorum more*, adumbrata. Integrum forte hymnum ob oculos habuit encomii, ſimilis argumenti, auctor, inter Theocritea XXII. Certe illum particulam hanc, quam adhuc tenemus, in carminis exordio paſſim imitatum eſſe, a Clarkio iam obſeruatum vides. Vt, quae in Fr. noſtro de Dioſcuris celebrantur, melius intelligas, tenendum, *Cabirorum* (μεγάλων θεῶν) antiquiſſimas apud *Samothraces* religiones ad *Tyndarei ſeu Iouis d*) *et Ledae filios*, Caſtorem atque Pollucem, eſſe traductas, ita, vt, cum illi, nempe Cabiri, a nauigantibus praecipue culti ſint, quippe Dii his ſalutares habiti *e*), eorum vices neſcio quomodo occupaſſe videantur Tyndaridae. Verum hoc eſſe, diſcas e Pauſania, in primis l. X, 8. p. 896. *f*). Hinc *ſtellulae* furente tempeſtate in nauium tran-

c) Aliud carmen Neptuno inſcriptum inter Epigrammata, a Pſeudo-Herodoto in vita Homeri ſeruata, occurrit n. VII. Sed in hoc tantum preces, vt ventum nauigantibus ſecundum immittat Deus, continentur.

d) Homerus Dioſcuros a *Tyndareo* ortos tradit Od. λ, 297 ſqq. Diuerſa ratio in Fr. noſtro.

e) cf. Schol. Apollon. Rh. I, 918.

f) cf. Euſeb. Praep. Ev. p. 36 A. Sext. Empir. adv. Mathem. IX, §. 37. Cum Cabiris et Dioſcuris confuſi etiam Corybantes v. Orph. Hym. 37. Euſeb. l. c.

tranſtris et antennis apparentes *g*), quippe ſecundi curſus nuntiae, Diis his ſacratae, quid, quod dictae etiam ſunt Διόσκουροι. v. Heſych. h. v. Qui quidem ἀστέρες in poetarum carminibus plerumque intelligendi, non *Gemini* illi, qui inter Aſtra Dioſcurorum nomen obtinuere. v. Hygin. Poet. Aſtr. II, 22. quanquam interdum fluctuare commentatores, remque in ambiguo eſſe, obſeruauit Hemſterhuſius. Iam opinio illa, de Dioſcurorum auxilio nautis periclitantibus ſalutari, cum ſemel recepta eſſet, factum, vt in tali diſcrimine Dii iſti, σωτῆρες νεῶν hinc appellati, a nauigantibus inuocarentur, vtque nautae iis ſacrificia in mare porricerent. v. Theocr. l. c. v. 6. 17. Hym. noſtr. v. 8 — 10. Cuius moris primam originem haud dubie ad antiqui poetae fidem tradit Diodorus IV, c. 43. p. 287. Weſſ. — Haec et plura ad vniuerſam de Dioſcuris fabulam illuſtrandam dabunt Ill. Heynius ad Apollod. l. III, 10, 7. p. 716 — 20. 730 — 35 et Hemſterhuſ. ad Lucian. DD. XXVI, p. 282 ſqq. Nonnulla, quae huc facerent, congeſta ſunt ab Itpp. Hygin. F. 77. Denique Dioſcuros equis inſidentes a poetis fingi, nota res vel e monumentis iisdemque antiquiſſimis. v. Ill. Heynii commentat. de Throno Amyclaei in Antiqu. Abb. I, p. 46. cf. Raccolta Roſſi Tab. XI – XIII. Lipp. Dactyl. Mill. II, 1, 309. III, 1, 297.

IV. *L u ſ u s.*

Ita hoc loco carmina appellamus, hactenus quidem Hymnis ſimilia, vt in Deorum laudibus verſentur, ſed tamen ab illis diuerſa, quod neque preces continent ad Deos directas, neque facta aut res geſtas numi-

g) Inde explicandi hymni verſus 12. 13. οἱ δ' ἐξαπίνης ἐφάνησαν ξουθῇσι, πτερύγεσσι δι' αἰθέρος ἀίξαντες.

numinum vberius exponunt. Contra videntur nobis solum suauem numinis imaginem referre, profectam nimirum a sensu poetae, siue mera numinis cogitatione, siue artificii cuiusdam Deum exhibentis contemplatione commoto, eandemque oratione laeta, viuida, ornatusque poetici colore distincta, expressam. At cum in Hymnorum exordiis similes numinum descriptiones nonnunquam occurrant, ne pro iisdem carmina haec habeas, adeoque *Hymnorum Fragmentis* interseras, vetat, opinor, perfectum illud, quod inest carminibus his, et absolutum nescio quid, vbi nil certe, quod desideres, aut e longiori carmine putes decerptum, reperias. Ex Hymnorum Catalectis praeter illud *in Neptunum*, cuius supra mentionem feci, *duo* huc pertinere visa sunt, de quibus nunc paucis mihi agendum erit.

V. Εἰς Ἀφροδίτην.

Celebrantur suauissimo hoc carmine *Veneris, e maris spuma ortae, natales*, argumentum quippe a priscis inde Cosmogoniis satis nobile; abhinc tamen poetis maxime frequentatum, breuibusque carminibus decantatissimum, postquam *Apelleae* tabulae pulcritudo ingenia accenderat. Ad quae tempora etsi carminis auctorem vix reiecerim, multo vero minus ad Apellis tabulam eum respexisse, vllo indicio didicisse me affirmauerim: manet tamen intacta illa quaestio, annon simile opus, vel pictum, vel caelatum, epigrammatis materiem ex parte nimirum ipsi suppeditauerit. Vtut sit, in exornando argumento auctor ita processit, vt fingeret Venerem a Zephyro leniter spirante per maris vndas spumantis ductam ad Horas, ab his tum comiter exceptam, indutam veste, variisque ornamentis pulcre condecoratam. Quo tandem virginali ha-

bitu Dea Immortalium coetui ſeſe primum immiſcens, eximia corporis venuſtate ſingulorum animis ſummum amoris ſui deſiderium inſtillat. Argumento expoſito de carminis virtutibus amplius dicere ſuperſedeo. Sed de epiphonemate *h*) verbo ſaltem dicendum. In quo cum Dea, vt canenti victoriam vel certaminis praemium concedere velit, rogetur; forte carmen hoc *Hymnis* annumerari debere inde concludas, quandoquidem in libelli fronte Pauſania teſte affirmauimus, hymnorum certamina apud Graecos fuiſſe antiquiſſima *i*). Enimvero quam parum fidei epilogis his tribuendum ſit, pluribus monere quid opus? Nec, etiamſi verſus hos eſſe germanos conceſſerim, video, qui factum ſit, vt reliqua hymni parte (ſi enim hymnus, vix, vt nunc eſt, pro integro habendum carmen) deperdita, epilogus conſervaretur. Quae cum ita ſint, foetum hunc ſpurium, forte ex alio hymno ſubditum, agnoſco, quo tamen cum maior carmini concilietur antiquitas, Grammatici, qui eum ſeu ipſe generarit, ſeu ex ſimili ſolo in hoc inſeuerit, ſi non doctrinam, certe ſollertiam prodi non negauerim.

XXVIII. Εἰς Ἄρτεμιν.

Exhibet poematium hoc Dianam ferarum venatricem, eamdemque in Apollinis fratris templo, quod venando feſſa ſubit, Muſarum Gratiarumque choreas moderantem. Ad rem cf. Callim. Hym. in Dian. inprimis Spanhem. Comment. ad vſ. 1. 3. 11. 17. 18. 169. Hom. Od. ζ' 102. Sed tribuuntur h. l. Dianae *Muſarum* ac *Gratiarum chori*, cui alias *Nympharum choreas*

h) Χαῖρ' ἑλικοβλέφαρε, γλυκυμείλιχε, δὸς δ' ἐν ἀγῶνι
Νίκην τῷδε φέρεσθαι, ἐμὴν δ' ἔντυνον ἀοιδήν.

i) cf. Sect. I. p. 5.

choreas dediſſe poetas memineris. v. Hom. Od. l. l. Callim. Hym. in Dian. 13. 170. Apollon. Rh. I, 1223. Virg. Aen. I, 498. ſqq. vbi cf. Excurſ. XX. Nimirum hic in Apollinis, cuius αὐτοκασιγνητη et ὁμότροφος vulgo vocatur Diana, conſortio degit, quidni igitur eodem comitatu atque choro, cui Phoebus frater praeeſt, circumdata fingi potuit Dea? Et vidimus iam lectiſſimis his Immortalium puellarum Choreis, praeeunte Apolline, Dianam immixtam, cf. Hym. in Apoll. 197 — 199.

Τῇσι l) μὲν οὔτ' αἰσχρὴ μεταμέλπεται, οὔτ' ἐλάχεια
Ἀλλὰ μάλα μεγάλη τε ἰδεῖν καὶ εἶδος ἀγητὴ
Ἄρτεμις ἰοχέαιρα ὁμότροφος Ἀπόλλωνι.

V. Reliqua Fragmenta, quae in Hymnorum hac Anthologia leguntur, XII numero, fere omnia ex *Hymnis vere Homericis* ſeruata eſſe videntur. Eorum recenſum vniuerſe ſupra dedimus. Duo inter haec, nempe Hymni *in Cererem* XII, et in *Mercurium* XVII, conſulto omittimus, nam de *integris*, quorum *exordia* ſunt, *Hymnis*, nobis iam diſputatum eſt.

3. VIII. Εἰς Ἄρτεμιν.

Hymni in Dianam initium. Curru vecta etiam alibi occurrit Diana, v. Callim. Hym. in Dian. v. 111. 141. Apollon. Rhod. III, 878. modo *ceruis*, modo *tauris* iuncto, quemadmodum in nummis ſaepe apparet, (vnde κερόεις ὄχος Callim. l. c. v. 113.) modo, vt h. l., *equis*. Nempe *Lunam* ex Oceano prodeuntem ita deſignare voluere. *Clarum* tendit Dea, vt alibi Delphos. v. Hym. XXVIII, 14. Apollinis enim et Dianae templa ac ſacra in iisdem locis fuere; conf. Spanh. ad Callim. l. c. v. 169. vnde vel vtrisque

 com-

l) Praeceſſerant Χάριτες, Μοῦσαι, Ὧραι, alia numina.

communia nomina, a regionibus seu vrbibus his repetita.

4. X. Εἰς Ἀθηναν.

Versus quartus huius Fragmenti cum anteced. minus bene coit, et offendit illud τε ter repetitum: καί τ' ἐῤῥύσατο λαὸν ἰόντα τε, νισσόμενόν τε, nisi primo loco τοι intelligendum. Forte e marginali glossa ortus est corruptus hic versus. — De epitheto ἐρυσίπτολις Mineruae h. l. tributo v. Clarkium ad h. l.

5. XI. Εἰς Ἥραν.

Fragmenti huius exordio inspecto: Ἥρην ἀείδω χρυσόθρονον, aliquis paulo feruidior de *Iunone Argiua* forte cogitare possit, quasi illi hymnus dicatus sit. *Argis* enim celeberrimum Iunonis signum, *Polycleti Argiui* opus, ex auro atque ebore factum, in *throno* erat collocatum. v. Pausan. II, c. 17. p. 148. Schol. Theocrit. XV, 64. cf. Spanh. ad Callim. Hym. in Del. 74. Hoc si verum, Hymni auctor Polycleti temporibus (Ol. 95.) est recentior. At Homero iam vocatur Iuno χρυσόθρονος v. Il. α' 611. ξ' 153. idque cognomen cum aliis Deabus, in primis cum *Aurora* ac *Diana* commune habet. cf. Od. κ' 541. μ' 142. ε' 123. ι' 529. In Hymno ipso celeberrimam de nuptiis Iouis et Iunonis fabulam expositam fuisse coniicio.

6. XVI. Εἰς Διοσκούρους.

Idem fere exordium, quod alteri integriori encomio Dioscuris dicato (XXXIV) praefixum vides.

7. XXII. Εἰς Δία.

Iouis cum Themide nuptiae et amores, quo forte alludit Fragmenti auctor, nota res. v. Hesiod. Θ. 903. cf. Apollod. I, 3, 1. Hygin. F. p. 13; nisi ad eam necessi-

necessitudinem respexit *m*), qua Themis, secundum nonnullos inter antiquissimas Oraculi Delphici praesides *n*), cum Ioue, vaticinandi artis principe, erat coniuncta. Cf. Amm. Marcell. l. XXI, p. 287. Omnino receptum est poetis, Themidem, quatenus ea primo *naturae legem*, seriori tempore *iustitiam*, δίκην, δικαιοσύνην, declararunt veteres, Ioui adiungere. Hinc Themis apud Pind. Ol. VIII, 28. πάρεδρος Διὸς dicitur.

8 — 10. XXV — XXVII. Εἰς Διόνυσον.

Ad primum Fragmentum, quod Bacchum, Iouis ac Semeles filium, a Nymphis Nysaeis nutritum exhibet, conf. Apollod. III, 4, 3. ibique Not. Ouid. Met. III, 314 *o*). Quaenam hic *Nysa* inter tot huius nominis vrbes montesue *p*) intelligatur, non liquet. Sed in altero Fragmento XXVI, quod Diodorus conseruauit l. III, c. 65., disertius: ἔστι δέ τις Νύση — τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων· Attamen ne sic quidem locus satis definitus. Nysam Aegypti quidem habet Steph. Byz. sed v. Itpp. Haud dubie *Nysa Arabiae* intelligenda, vel ipso Diodoro interprete l. c. μαρτυρεῖ δὲ τοῖς ὑφ' ἡμῶν λεγομένοις καὶ ὁ ποιητὴς ἐν

m) Nempe v. 3. ὥστε Θέμιστι ἐγκλιδὸν ἑζομένῃ πυκινοὺς ὀάρους ὀαρίζει.

n) Vid. Pausan. X, 5. p. 809. Hym. Orph. 78. Itpp. ad Hygin. F. 140.

o) Commentum hoc extulit Meleager in epigr. Anthol. I, 59, 3.

Αἱ Νύμφαι τὸν Βάκχον, ὅτ' ἐκ πυρὸς ἥλαθ' ὁ κοῦρος,
Νίψαν, ὑπὲρ τέφρης ἄρτι κυλιόμενον.
Τοὔνεκα σὺν Νύμφαις Βρόμιος φίλος, ἢν δέ νιν εἴργῃς
Μίσγεσθαι, δέξῃ πῦρ ἔτι καιόμενον

De fabulae huius allegorico, quem veteres iam ei subdidere, sensu, vid. Athenaeus II, p. 38. XV, p. 693. Hinc illud *Tibulli*: Naida Bacchus amat etc. el. 6. l. III, v. 57.

p) v. Steph. Byz. h. v. Schol. Il. ζ' 133. cf. Ruhnken. ad Hym. in Cer. v. 17.

ἐν τοῖς ὕμνοις, λέγων περὶ τῶν ἀμφισβητούντων τῆς τούτου γενέσεως, καὶ ἅμα τεκνωθῆναι παρεισάγων αὐτὸν ἐν τῇ κατὰ τὴν Ἀραβίαν Νύσῃ; at cuiusnam Arabiae partis? an *felicis?* vbi idem Diodorus *Osirin*, Graecorum Dionyſum, nutritum perhibet l. I. c. 15. p. 19. Weſſ. Tum vero haeremus, quod iam monuit Weſſeling., in illo: σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων, niſi forte difficultate ita te expedias, vt *Nilum* pro *Aegypto omnino* dictum accipias. De Arabia felici vt cogites, ſuadet certe quod additur, τηλοῦ Φοινίκης. Ceterum laudari verſum hunc a Schol. Apollon. II, 1215. ſub *Herodoti* nomine, ante monui. Sect. I. p. 11. Videndus Weſſeling. ad Diodor. I, c. 15. p. 19. III, c. 65, qui dictis locis etiam de reliquis ad fragmentum hoc notatu dignis, vt de *Dracano Icariae promontorio* (Strabone teſte), docte differit.

Denique tertium fragmentum XXVII., quod e cod. Moſc. cum Hym. in Cererem vulgauit Ruhnkenius V. C., ſine dubio *eiusdem Hymni*, cuius pars in proxime antecedenti continetur, *finem* exhibet. Inducitur hic Iupiter Baccho ſacra ab hominibus inſtituenda ſpondens. *Trieterica* orgia q) ex antiquiſſimis ſunt, tertio quoque anno a Thebanis in monte Cithaerone celebrata. v. Eurip. Bacch. 51. 62. 63. Hinc praeclare Virgilius Aen. IV, 301.

Qualis commotis excita ſacris
Thyias, vbi audito ſtimulant trieterica Baccho
Orgia, nocturnusque vocat clamore Cithaeron:

ad qu. loc. v. Ill. Heyne.

II.

q) vs. 2. 3. ὣς δὲ τὰ μὲν τρία σοι πάντως τριετηρίσιν αἰεὶ Ἄνθρωποι ῥέξουσι τεληέσσας ἑκατόμβας.

11. XXX. Εἰς Ἱστίαν καὶ Ἑρμῆν.

Carmen hoc, cui plura insunt, quae subtiliorem requirant disquisitionem, Hymnorum *Homericorum* Fragmentis eximendum puto. Inscriptum est *Vestae et Mercurio.* Forte iunguntur numina ea, quod Mercurius, cuius *Hermae* ante fores in vestibulo aedium poni solebant (v. Aelian. V. H. II, 41. ibique Itpp.) cum Vesta, *domus ipsius praeside*, velut communis aedium tutela, colebantur, vt huc referendae sint preces vs. 9.

Ναίετε δώματα καλὰ, φίλα φρεσὶν ἀλλήλοισιν.

Forte etiam peculiaris vrbis seu ciuitatis, ad quam respexit hymni auctor, *vtrique Dii tutelares* erant. Ita v. c. *Pharis*, Achaiae oppido, prope Pierum amnem, *Mercurio*, cui oraculum ibi conditum erat, *et Vestae* in foro simul sacra facta esse discimus e Pausania VII, 22. p. 579; Περίβολος δὲ ἀγορᾶς μέγας κατὰ τρόπον τὸν ἀρχαιότερόν ἐστιν ἐν Φαραῖς. Ἑρμῆς τε ἐν μέσῃ τῇ ἀγορᾷ λίθου πεποιημένον ἄγαλμα, ἔχων καὶ γένεια . . . καλεῖται μὲν δὴ Ἀγοραῖος. παρὰ δὲ αὐτῷ καὶ χρηστήριον καθέστηκε. κεῖται δὲ πρὸ τοῦ ἀγάλματος Ἑστία λίθου καὶ αὐτή· μολίβδῳ δὲ πρὸς τὴν Ἑστίαν προσέχοντες λύχνοι χαλκοῖ. Ἀφικόμενος οὖν περὶ ἑσπέραν ὁ τῷ θεῷ χρώμενος, λιβανωτόν τε ἐπὶ τῆς Ἑστίας θυμιᾷ . . . καὶ ἐρωτᾷ πρὸς τὸ οὖς τὸν θεὸν κ. τ. λ. Sed alibi quoque in monumentis antiquis Mercurii et Vestae signa coniuncta reperiuntur. Ita in Iouis Olympii basi seu scamillo aurea emblemata Vestae Mercurium amplectentis sculpta refert Pausan. V, 11. p. 403. Vestae autem cultus, siue quod *ignem* declarauit Dea, siue quoniam cum *Terra matre* saepe confusa est, (quo forte id ipsum referas, quod, sicut Pharis, oraculorum praeses facta est) apud Graecos erat sanctissimus, adeo vt ei *ante*

omnes Deos facra facta effe perhibeantur. Plato in Cratyl. P. I. p. 401. ed. Steph. τὸ γὰρ πρὸ πάντων θεῶν τῇ Ἑςίᾳ πρώτῃ θύειν εἰκὸς ἐκείνους, οἵτινες τὴν πάντων οὐσίαν, ἑςίαν ἐπωνόμασαν. Add. Paufan. V. p. 411. θύουσι δὲ Ἑςίᾳ μὲν πρῶτον (in Sacris Olymp.) δεύτερον δὲ τῷ Ὀλυμπίῳ Διί *r*). Quocirca etiam in conuiuiis Veftae *primo loco* libatum effe, quod ex Hymno noftro apparet *s*), ne miremur. Sed in ipfo Hymni contextu multa funt corrupta et luxata. Tribuitur Veftae τιμὴ πρεσβηΐς (v. 3), quoniam inter Saturni filias natu antiquiffima eft. v. Hefiod. Θ. 454. Apollod. I, 1, 3; quam tamen lectionem, nec iniuria, impugnat *Erneftius*, propter fequentem verfum: καλὸν ἔχουσα γέρας καὶ τιμήν, quanquam vltima haec ex interpolatione orta effe, credere malim. Vf. 9. ναίετε δώματα καλά, φίλα φρεσὶν ἀλλήλοισιν, quem alieno loco infertum effe apparet, Bern. *Martinus t*) poft vf. 11. ἀμφότεροι γὰρ ἐπιχθονίων ἀνθρώπων, bene collocat. Sed vel fic in extremo:

εἰδότες ἔργματα καλά, νόῳ θ' ἕσπεσθε καὶ ἥβῃ.

paullulum haeremus. Etenim non ftatim fuccurrit, quae tandem ἔργματα ad Veftam poeta referre potuerit, nifi forte ad id commentum refpexerit, quod *Diodorus*

r) Hinc ortum prouerbium illud Graecis follemne: ἀφ' Ἑςίας ἀρχόμενος. v. Spanhem. in erudita comment. de Vefta et Prytan. Thef. Antiqu. Rom. Graev. inferta T. V. p. 664. 668.

s) Vs. 5. 6. οὐ γὰρ ἄτερ σοῦ

εἰλαπίναι θνητοῖσιν, ἵν' οὐ πρώτῃ πυμάτῃ τε
Ἱςίῃ ἀρχόμενος σπένδει μελιηδέα οἶνον.

Libationibus vero feu fluidorum, feu herbarum, thuris etc. in primis cultam effe Veftam, ex veterum fcriptorum teftimoniis ad liquidum perduxit Spanhem. l. c. p. 676. cf. Pind. Nem. XI, 7. Athen. V, p. 212. Porphyr. de Abftin. l. II, p. 125. Ad morem hunc forte alludit etiam Anacreon in fragm. ab Athenaeo feruato l. X, p. 447. cf. Spanh. l. c. et ad Callim. Hym. in Del. 325.

t) in Variis Lectionibus. Paris 1605. p. 25.

Diodorus affert l. V, c. 68. p. 384. Weff., Veftam nempe *aedificii exftruendi rationem primum docuiffe homines u*). Altera laudati verfus pars, nifi corruptela laborat, poetica inuerfione pofita accipi debet, pro vulgari: νοῦς καὶ ἥβη ἕπονται ὑμῖν.

12. XXXIII. Εἰς Σελήνην.

Fragmentum encomii, ad laudes Lunae compofiti, quód forte in feftis *Pandiis*, fecundum nonnullos in Lunae honorem inftitutis, decantatum eft. Id quod coniicias ex vf. 15. quo Iouis et Lunae amores indeque nata *Pandia* celebrantur.

Ἡ (Σελήνη) δ' ὑποκυσσαμένη Πανδείην γείνατο κούρην
Ἐκπρεπὲς εἶδος ἔχουσαν ἐν ἀθανάτοισι θεοῖσι.

Sed de fefto hoc ipfo non conftat inter viros doctos. v. Suidas et ex eo Harpocration. Etymol. M. quocum confpirat Photius in Lex. Mfc. cf. Küfter ad Suid. Potter Archaeol. T. I. p. 922 Ramb. Alii enim τὰ Πάνδια f. τὰ Πανδεία *Iouis* feftum Athenis celebratum, idemque cum *Diafiis*, τὰ Διάσια, effe putant; v. Taylor ad Demofthen. in Midiam p. 517, 3 Reifk. vt nomen eodem modo explicandum fit, quo τὰ Παναθήναια, Πανιώνια, Πανελλήνια. v. Pollux VI, 37. Alii facra haec a *Pandia* Lunae filia denominata, *Lunaeque* adeo habita effe volunt. v. Vlpian. ad Demoft. l. c. Πάνδια οἱ μὲν Διὸς ἑορτὴν ἐνόμισαν. οἱ δὲ Πάνδιαν τὴν Σελήνην νομίζουσι . . . . . . ἦγον οὖν καὶ τῆς Σελήνης ἑορτὴν μετὰ τὰ Διονύσια etc. An ex fragmento hoc, quod omnes, quotquot adii, interpretes fugiffe video, certius quid fuper hac re liceat conftitui, videant doctiores. Saltem Plenilunium

u) Λέγεται τὴν Ἑστίαν τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν, καὶ διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην, περὶ πᾶσι σχεδὸν ἀνθρώποις ἐν πάσαις οἰκίαις καθιδρυθῆναι τιμῶν καὶ θυσιῶν τυγχάνουσαν.

nium Graecis propter varias ſuperſtitiones ſollemne fuiſſe, ſatis conſtat cf. Martin. Var. Lect. I, 14. et accedit, quod τὰ Πάνδια ſtatim poſt Dionyſia feſta facta eſſe perhibentur. *Suidas.* Πανδεῖα ἑορτή τις Ἀθήνησι, μετὰ τὰ Διονύσια ἀγόμεναι. Vlpian. l. c.; forte in *ipſo templo Bacchi*, quod ex Demoſthene l. c. ſequi videtur. cf. Palmerium ad h. l. Qui quidem mos, ſi Πανδίων feſtum *Lunae* ſacrum ſit, inde explicari poterit, quod *Dionyſus* cum *Sole* nonnunquam confuſus, *Lunae* frater habebatur. cf. Vlpian ad Demoſth. l. c. Potter l. c. Caſaub. de Satyr. poeſ. p. 56. 61. — Epilogum encomio ex praecedenti in Solem Hymno (XXXII) a librario adſutum eſſe, nullus dubito.

Sectio III.

Specimen Obſeruationum in Hymnos in Apollinem et Mercurium.

Hymn. in Apollinem.

Vſ. 14 — 18.

Χαῖρε, μάκαιρ' ὦ Λητοῖ, ἐπεὶ τέκες ἀγλαὰ τέκνα
Ἀπόλλωνά τ' ἄνακτα καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν.
τὴν μὲν ἐν Ὀρτυγίῃ, τὸν δὲ κραναῇ ἐνὶ Δήλῳ,
κεκλιμένη πρὸς μακρὸν ὄρος καὶ Κύνθιον ὄχθον
ἀγχοτάτω Φοίνικος, ὑπ' Ἰνώποιο ῥεέθροις.

Quoad ſententiam verſus hi redeunt mox in ſequenti fragmento vſ. 25 — 27. Quam ob ſimilitudinem primo margini adſcripti, mox in textum irrepſere. Videntur alius carminis ſeu Hymni, in *Latonam* forte, *epiphonema* fuiſſe. Simile epiphonema v. inter Theocritea XXVI, 33 — 38. Vſ. 16. eodem modo legitur in Orphic. Hymn. 34, 5. De Ortygia et Delo modo pro vna, modo pro diuerſis inſulis habitis v. Spanhem. ad Callim. H. in Ap. 59. in Del. 37. 255.

Vſ.

Vſ. 32.

Αἰγαί, Πειρεσίαι τε, καὶ ἀγχιάλη Πεπάρηθος

ἀγχιάλη otioſum epitheton inſulae *in medio mari* ſitae. Occurrit quidem alibi in Homero, ſed tantum iis locis ſeu vrbibus adiicitur, quae prope mare, quanquam in continenti, iacent. v. Il. β' 640. 697. ε' 609. In promptu eſt legere *ἄγχ' ἔναλος Πεπάρηθος* pro *ἄγχι αὐτῶν* ſc. *Πειρεσιῶν*. Hom. Il. ω' 126. *Ἡ δὲ μάλ' ἄγχ' αὐτοῖο καθέζετο*. Od. ε' 101. *οὐδέ τις ἄγχι βροτῶν πόλις*. Vocem *ἔναλος* in hoc ipſo Hymno reperies, vſ. 180. *ἔναλον πόλιν ἱμερόεσσαν*. — Leniorem tamen emendationem monſtrauit mihi Ill. Heynius, praeceptor pie colendus, qui ita coniicit: *ἄγχ' ἁλίη Πεπάρηθος*.

Vſ. 47 — 48.

Αἱ δὲ μάλ' ἐτρόμεον καὶ ἐδείδισαν, οὐδέ τις ἔτλη
Φοῖβον δέξασθαι, καὶ πιοτέρη περ ἐοῦσα·

Alter hic verſus: *Φοῖβον* etc. manifeſte ſpurius et obelo confodiendus; valde enim friget, nec eſt, quod dubites, quin Grammatici cuiuspiam gloſſa ſit, qua illud *ἔτλη* vſ. 47. explicatum dare voluerit. Alioqui ſatis commode iungi poteſt cum *οἰκία θέσθαι* in verſu praeced.

Εἴ τις οἱ γαιέων υἱεῖ θέλῃ οἰκία θέσθαι.

Verum, quod coniecturam hanc noſtram admodum firmat, eſt locus plane ſimilis Homeri Il. η' 151.

Τοῦ ὅγε τεύχε' ἔχων προκαλίζετο πάντας ἀρίστους
Οἱ δὲ μάλ' ἐτρόμεον καὶ ἐδείδισαν, οὐδέ τις ἔτλη·
Ἀλλ' ἐμὲ θυμὸς ἀνῆκε πολυτλήμων πολεμίζειν.

Vſ. 96 — 98.

Ἧστο γὰρ (Ἥρη) ἐν μεγάροισι Διὸς νεφεληγερέταο.
Μούνη δ' οὐκ ἐπέπυστο μογοστόκος Εἰλείθυια.
Ἧστο γὰρ ἄκρῳ Ὀλύμπῳ ὑπὸ χρυσέοισι νέφεσσιν.

Alterum horum verſuum (96. 98.) ſpurium eſſe probabile fit, nec valde dubito, quin prior pro poſterioris (98) gloſſa habendus ſit. Verbis illis *ἄκρῳ Ὀλύμπῳ* forte Graeculus quis adſcripſerit, *ἐν μεγάροισι Διός*.

Reli-

Reliqua a librario adsuta. Iunonem certe et Ilithyiam in vno eodemque loco degisse, coniicias ex vs. 105. 110. — Ilithyia Dea ab Homero pluribus locis inducitur, sed diuerso numero; modo, vt h. l. *vna* vocatur, v. Il. π' 187. τ' 104; modo *plures* Il. λ' 270 sqq. Iunonis partes in arcenda Deae simili modo declarari vides Il. τ' 119. Alio loco (Od. τ' 188) Deae huius spelunca iuxta Cretae oppidum seu amnem, *Amnisum*, sita memoratur. Sollemnia *Lucinae*, propter opem Latonae parturienti latam, sacra, inque his Deae encomium, *Oleni Lycio* adscriptum, *in Deli insula* decantatum refert Pausan. I, 18, p. 42. In eodem Hymno Ilithyiam et Μοῖραν s. τὴν πεπρωμένην pro iisdem haberi, illam vero Saturno antiquiorem tradi, idem Auctor notat l. VIII, 21, p. 639. Ab hac diuersam rationem init Hesiodus quippe qui Ilithyiam a Ioue et Iunone natam perhibet. Θ. 922. Prius Olenis commentum sequiores poetae forte secuti, ita deflexere, vt Lucinae Parcas frequenter adiungerent. Ita v. c. Pindaro dicta Ilithyia πάρεδρος Μοιρᾶν βαθυφρόνων Nem. VII. pr. Plura v. ap. Spanhem. ad Callim. Hym. in Dian. 22. Tandem Deae huius munera nonnunquam *Iunoni* (v. Hesych.) maxime vero *Dianae* assignata esse, quis ignorat? v. Callim l. c. 21. Horat. O. III, 22.

Vs. 114.

Βὰν δὲ ποσὶ, τρήρωσι πελειάσιν ἴθμαθ' ὁμοῖαι

Mirum, ni scripsisset poeta:

Αἱ δὲ βάτην τρήρωσι πελειάσιν ι. ο.

Ita versus hic effertur ab Homero Il. ε' 778 — Βὰν δὲ ποσὶ, vix est Homerica loquendi ratio, cui potius receptae formulae sunt: βὰν δ' ἴεναι, βὰν δ' ἴμεν. Sed forte totus versus a sciolo quodam, cuius menti Homericus ille obuersabatur, *memoriter* attextus est.

Vs. 119.

Ἐκ δ' ἔθορε πρὸ φόωςδε· θεαὶ δ' ὀλόλυξαν ἅπασαι

Ante

Ante haec intercidiſſe nonnulla videntur; verbum ἐξέθορε enim nomine ſuo deſtitutum eſt. Ceterum ſententia ſatis manifeſta. cf. Callim. Hym. in Del. 255. Hemſterhuſ. ad Lucian. Prometh. T. I, p. 29.

Vſ. 152.

Οἳ τότ' ἐναντία σεῖο γ' Ἰάονες ἀθρόοι εἶεν

Verſus hic ex Grammatici interpretatione manifeſte ortus. Languidi habet neſcio quid, et ſententia iam aderat vſ. 145. ἔνθα τοι ἑλκεχίτωνες Ἰάονες ἠγερέθονται.

Vſ. 161.

Ὕμνον ἀείδουσι, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων

Offendit ταυτολογία; Etenim modo antecesserat v. 158. αἵτ' ἐπεὶ ἂρ πρῶτον μὲν Ἀπόλλων' ὑμνήσωσιν. Quid? ſi legamus: καλὸν ἀείδουσι, θ. δ. φ. α. Odyſſ. α' 155. ἤτοι ὁ φορμίζων ἀνεβάλλετο καλὸν ἀείδειν. Od. τ' 519. ὡς δ' ὅτε — χλωρηῒς ἀηδὼν καλὸν ἀείδῃσιν. φ' 411. ἡ δ' ὑπὸ καλὸν ἄεισε. Ceterum oratio in vſ. 155 — 161. minus impedita foret, ſi ita interpungeres:

Αἵτ', ἐπεὶ ἂρ πρῶτον μὲν Ἀπόλλων' ὑμνήσωσιν,
Αὖθις δ' αὖ Λητώ τε καὶ Ἄρτεμιν ἰοχέαιραν,
Μνησάμεναι ἀνδρῶν τε παλαιῶν ἠδὲ γυναικῶν
Καλὸν ἀείδουσι, θέλγουσι δὲ φῦλ' ἀνθρώπων.

Vſ. 184.

Ἄμβροτα εἵματ' ἔχων τεθυώμενα·

Mallem legere:

Ἄμβροτος, εἵματ' ἔχων τεθυώμενα

haud dubie maiori cum vi. Et vox εἵματα altero hoc epitheto lubentius careret. cf. obſeruata ab Ill. Heynio ad Virg. Georg. I, 407. Θεὸς ἄμβροτος paſſim ab Homero dicitur, v. c. Il. υ' 358. Οὐδέ κ' Ἄρης, ὅσπερ θεὸς ἄμβροτος, οὐδέ κ' Ἀθήνη. Od. ω' 444. Αὐτὸς ἐγὼν εἶδον θεὸν ἄμβροτον, ὅς ῥ' Ὀδυσῆϊ etc.

Vſ. 207.

Πῶς τ' ἄρ σ' ὑμνήσω πάντως ε. ε.

Legerim: πῶς δ' ἄρ σ' ὑμνήσω, quemadmodum ſupra vſ. 19.

Vſ.

Vſ. 216. 217.

Πιερίην μὲν πρῶτον ἀπ' Οὐλύμποιο κατῆλθες
Λέκτον τ' ἠμαθόεντα παρέστιχες, ἠ Μαγνῆτας.

Aut poeta negligentiae valde reprehendendae culpam contraxit, adeoque Homero longe inferior habendus, quippe quem locorum naturam ac ſitum mira diligentia in carminibus ſuis ſeruaſſe conſtat; aut lectio ipſa, vt nunc eſt, vitio laborat. Quis enim *Lecti*, Troiae promontorii vltra mare Aegaeum ſiti, mentionem inter *Pieriam* et *Magnetes*, Theſſaliae accolas, factam eſſe autumet?

Vſ. 231 — 239.

Totum hunc locum, ex alio carmine antiquo, quo *Oncheſti* laudes forte celebrabantur, mala Grammatici ſedulitate, huc immigraſſe coniicio, quam fraudem prodit vel recurrens ille verſus ieiunus et frigidus eoque loco, in quo reperitur, plane alienus: (239)

ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον

qui iam adfuit vſ. 229.

Vſ. 243.

Ἔνθεν ἄρ' εἰς Ἁλίαρτον ἀφίκεο ποιήεντα.

Verſus hic vel inſititius, vel ante v. 240. tranſponendus (modo v. 231–239. tanquam alienos eiicias). *Oncheſto* enim (230) primum ad *Haliartum* *) tum ad *Ocaleam* et *Cephiſſum* iter fit; poetam enim locorum ſitum reſpexiſſe, tota itineris deſcriptio docet. Vix igitur fieri potuit, vt Ocalea iam commemorata, adiiceret: ἔνθεν εἰς Ἁλίαρτον ἀφίκεο. Mecum igitur totum orationis ordinem inde a vſ. 229. ita inſtituas:

Ἔνθεν δὲ προτέρω ἔκιες, ἑκατηβόλ' Ἄπολλον,
Ὄγχηστον δ' ἷξες, Ποσιδήϊον ἀγλαὸν ἄλσος.
Ἔνθεν ἄρ εἰς Ἁλίαρτον ἀφίκεο ποιήεντα.
Κηφισσὸν δ' ἄρ' ἔπειτα κιχήσαο καλλιρέεθρον
Ὅστε Λιλαίηθεν προχέει καλλίῤῥοον ὕδωρ.
Τὸν διαβὰς, Ἑκάεργε, καὶ Ὠκαλέην πολύπυρον,
Βῆς δ' ἐπὶ Δελφούσης κ. τ. λ.

Vſ.

*) Steph. Byz. Ὀγχηστὸς· κεῖται δὲ ἐν τῇ τῶν Ἁλιαρτίων χώρᾳ cf. Strabo IX, p. 412. (283).

Vſ. 324. 325.

Οὐκ ἂν ἐγὼ γενόμην, καὶ σὴ κεκλημένη ἔμπης
Ἦν ἄρ᾽ ἐν ἀθανάτοισιν, οἳ οὐρανὸν εὐρὺν ἔχουσι

Diſplicent verſus hi; produnt enim, ni fallor, ineptum Homeri imitatorem. v. Il. δ' 60. σ' 366. Poſt σὴ κεκλημένη nempe ſupplendum, ἄκοιτις ſ. ἄλοχος, quae vix ferenda durities. Vtrumque verſum, ſi eiicias, nemo deſideret. Vſ. 323. enim cum 326. optime coit, quin ita feruidior fit oratio, adeoque iratae Deae magis accommodata.

Vſ. 329. 330.

Οὐδέ τοι εἰς εὐνὴν πωλήσομαι, ἀλλ᾽ ἀπὸ σεῖο
Τηλόθεν οὖσα, θεοῖσι μετέσσομαι ἀθανάτοισι.

Corrupta haec eſſe, ſequenti ſtatim verſu manifeſtum fit:

Ὣς εἰποῦσ᾽, ἀπὸ νόσφι θεῶν κίε χωομένη κῆρ.

Quae quantum ſibi inuicem repugnent, in oculos incurrit. Poſtquam haec ſcripſeram, vidi et Cl. Ruhnkenium (Ep. Crit. I, p. 19. 20.) in loco hoc haeſiſſe, vtque tolleret repugnantiam, vſ. 331.

ὣς εἰποῦσ᾽ ἀπὸ νόσφι Διὸς κίε χ. κ.

repoſuiſſe. Enimuero ſi a *Ioue* ſeceſſerat Iuno, nec ceteris Diis, in quorum conſortio erat Iupiter, intereſſe potuit. Id quod vel ex v. 343. ſqq. ἐκ τούτου ſq.

Ἀλλ᾽ ἥγ᾽ ἐν νηοῖσι πολυλλίστοισι μένουσα
Τέρπετο οἷς ἱεροῖσι βοῶπις πότνια Ἥρη

colligi poteſt. Si emendatione poeta ſanandus, v. 330. ita correxerim:

Τηλόθεν οὖσα, θεοῖσιν ἀπέσσομαι ἀθανάτοισι.

quod exquiſitius dictum puta, pro vulgari: θεῶν ἀπέσσομαι. Ita v. c. Od. θ' 150 σοί δ' ὁδὸς οὐκ ἔτι δηρὸν ἀπέσσεται. — At meliorem rationem docuit me Ill. Heynius, mendoſo loco ita ſuccurrens:

Οὐδέ τοι εἰς εὐνὴν πωλήσομαι, οὐδ᾽, ἀπὸ σεῖο
Τηλόθεν οὖσα, θεοῖσι μετέσσομαι ἀθανάτοισι.

Vſ. 353. 354.

Αὐτίκα τόνδε λαβοῦσα βοῶπις πότνια Ἥρη
Δῶκεν ἔπειτα φέρουσα κακῷ κακόν.

Cl. Ruhnkenium de vniuerſo loco praeclare diſputantem, nihil de voce iſta κακῷ monuiſſe, miror. Quae cum ex ſententiarum nexu ad δράκαιναν neceſſario referri debeat, reponendum eſſe videtur, κακῇ κακόν. Nec eſt, quod κακῷ velut abſolute dictum explicare tentes, vt ſit: φέρουσα κακὸν (ἐπὶ) κακῷ. Sic enim δῶκεν nomine ſuo deſtitutum foret.

Vſ. 356.

Ὅς τῇ γ' ἀντιάσειε, φέρεσκέ μιν αἴσιμον ἦμαρ.

Verſum hunc, ſi quem alium, delendum cenſeo. Inconcinnam reddit orationem, nec cum iis, quae ſequuntur, bene cohaeret. In antecedenti verſu ἣ κακὰ πόλλ' ἔρδεσκε etc. a Wolfio V. C. bene pro vitioſo ὅς, quod libris adhuc inhaeſit, repoſitum eſt. Sed de toto hoc panno inde a vſ. 305. ſupra dixi, v. Sect. II, p. 33.

Vſ. 360.

Θεσπεσίη δ' ἐνοπὴ γένετ' ἄσπετος

Malim, ἄσπετον. Hom. Il. ρ' 332. ἀλλ' αὐτοὶ τρεῖτ' ἄσπετον, οὐδὲ μάχεσθε. Cuius mutationis rationem v. ad vſ. 184.

Vſ. 407.

Ἀλλ' ὡς τὰ πρώτιστα κατεστήσαντο βοεῦσιν

Loquendi ratio paulo difficilior, nec tamen ab vllo interpretum expedita. Supplendum, ἱστία. Vulgo dicitur ἕλκειν ἱστία βοεῦσιν v. c. Hom. Od. β' 426. ἕλκον δ' ἱστία λευκὰ ἐϋστρέπτοισι βοεῦσιν. Pro eo exquiſitius poeta noſter dixit: κατεστήσαντο (ἱστία σὺν) βοεῦσιν h. conſtituebant, explicabant vela rudentibus, quod tum poetarum more prolatum, pro vulgari: *nauigabant.*

Vſ. 410 — 413.

Πὰρ δὲ Λακωνίδα γαῖαν, ἁλιςέφανον πτολίεθρον
Ἴξον, καὶ χῶρον τερψιμβρότου Ἠελίοιο
Ταίναρον, ἔνθα τε μῆλα βαθύτριχα βόσκεται αἰεὶ
Ἠελίοιο ἄνακτος, ἔχει δ' ἐπιτερπέα χῶρον.

Extremum hunc verſum, forte etiam qui hunc proxime antecedit, ex interpretatione ortos eſſe, certo mihi perſuaſum eſt. Ceterum Homerus in loco ab hoc diuerſo *Solis armenta* ponit, nempe in *Trinacia* inſula, ſ. Sicilia. v. Od. μ' 128. 269 ſqq.

Vſ. 425.

Βῆ δὲ παρὰ Κρουνοὺς καὶ Χαλκίδα καὶ παρὰ Δύμην.

Rectius ponentur haec ante v. 428.

Καί σφιν ὑπὲκ νεφέων Ἰθάκης τ' ὄρος αἰπὺ πέφαντο.

Dyme enim in finibus *Achaiae* et *Elidis* ſita eſt; ex quo loco Ithacae montes ceteraeque commemoratae inſulae optime proſpici poſſunt. *Chalcis* h. l. non *fluuius* eius nominis in *Elide* haberi debet, ſed locus ad *oſtium Eveni* fluminis, per Aetoliam in Ionium mare ſeſe exonerantis. *Cruni*, ignotus in hac regione locus.

Vſ. 440. 41.

Ἔνθ' ἐκ νηὸς ὄρουσεν ἄναξ ἑκάεργος Ἀπόλλων
Ἀςέρι εἰδόμενος μέσῳ ἤματι, τοῦ δ' ἀπὸ πολλαὶ
Σπινθαρίδες πωτῶντο, σέλας δ' εἰς οὐρανὸν ἧκεν.

Cl. Ruhnkenius in Ep. crit. I, p. 24. „Locus praua in„terpunctione laborat. Nam cum ἀςέρες διάττοντες „non medio die, ſed nocte, cernantur, interpungendum „eſt poſt εἰδόμενος, vt μέσῳ ἤματι cum ὄρουσεν iungatur.„ Enimuero (liceat mihi hoc loco a Summo Viro diſſentire) cur de *ſtellis cadentibus* cogitamus? quidni *meteoron igneum* habetur, quod v. c. apud Homerum inter pugnantes decidit? Theon ad Arat. Dioſem. καὶ ξηρὸς νῦν καὶ πυρώδης πυκνούμενος, ἀποπέμπει τινὰς ὥσπερ σπινθῆρας, οὓς δὴ ὑπονοοῦσιν, ἀςέρων εἶναι

 διαδρο-

διαδρομάς· οὐκ εἰσὶ δέ· οὐ γὰρ οἱ ἀςέρες κινοῦνται, ἀλλὰ ςιλβηδόνες πυρώδεις εἰσὶν, ἃς, ὡς ἔφην, ἀποπέμπει ὁ αἰθὴρ. Plura de his v. ap. Spanh. Callim. in Del. 38. cf. Hom, Il. δ, 75. ρ, 547. Virg, Aen. V, 527. Quod si verum, μέσῳ ἤματι ad ἀςέρι referendum, quandoquidem eiusmodi meteora vel medio die apparere possunt. Alteram rationem si sequaris, μέσῳ ἤματι nimis otiosa appositio esset; cur enim, quaeso, *medio die* Apollo ex naue desilit?

Vs. 478. 479.

"Ες τε φίλας ἀλόχους· ἀλλ'. ἐνθάδε πίονα νηὸν
"Εξετ' ἐμὸν, πολλοῖσι τετιμένον ἀνθρώποισιν.

Vix temperare mihi possum, quo minus versus hos ex interpolatione ortos credam. Redit enim mox eadem sententia iisdem fere verbis expressa v. 482. 483.

Οὔτι κακὰ φρονέων, ἀλλ' ἐνθάδε πίονα νηὸν
"Εξετ' ἐμὸν, πᾶσι μάλα τίμιον ἀνθρώποισι

Nimirum versui 477. ἔς τε πόλιν ἐρατὴν καὶ δώματα καλὰ ἕκαςος, adscripserit aliquis Homerici sermonis atque elocutionis bene memor: ἔς τε φίλας ἀλόχους. Quae cum deinceps forte in textum irrepserint, vt versus absolueretur, reliqua a librario ex sequentibus adsuta sunt.

V. 519. 20.

Οἷοί τε Κρητῶν παιήονες, οἷσί τε Μοῦσα
'Εν ςήθεσσιν ἔθηκε θεὰ μελίγηρυν ἀοιδήν.

Etiam hoc emblema ab antiquo carmine abesse malim.

Hymn. in Mercurium.

Vs. 11-13.

Τῇ δ' ἤδη δέκατος μεὶς οὐρανῷ ἐςήρικτο,
"Εις τε φόως ἄγαγεν, ἀρίσημά τε ἔργα τέτυκτο·
Καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα πολύτροπον, αἱμυλόμυθον

Non magna sagacitate opus est, vt versum medium εἴς τε φόως — τέτυκτο spurium agnoscas. Orta interpolatio sine dubio ex obseruata simili apud Homerum loquendi formula v. c. Il. τ, 117. Nec parum lucratur poeta,

poeta, si subditum hunc foetum eiicias. Vs. 13. enim cum vs. 11. optime iungitur; quid? quod extremi versus absona prorsus exit sententia, si praecedentem tueri velis. Quippe puer iam in *lucem editus*, vt *denuo nasceretur* (καὶ τότ' ἐγείνατο παῖδα), profecto necesse non erat.

Vs. 35.

Οὐδ' ἀποτιμήσω· σὺ δέ με πρώτιστον ὀνήσεις

Conflatus versus hic, mala Grammaticorum in variandis poetarum sententiis sedulitate, ex duobus antecedentibus, vs. 30. σύμβολον ἤδη μοι μέγ' ὀνήσιμον· οὐκ ὀνοτάζω; et v. 34. ἀλλ' οἴσω σ' εἰς δῶμα λαβών· ὄφελος τί μοι ἔσσῃ; nec refrager, si quis versum, qui laudatum statim excipit, 36.

Οἴκοι βέλτερον εἶναι, ἐπεὶ βλαβερὸν τὸ θύρηφιν.

quippe ex Hesiod. Ἐργ. v. 363. adscriptum, simul emigrare iubeat.

Vs. 83 — 86.

Ἀβλαβέως ὑπὸ ποσσὶν ἐδήσατο σάνδαλα κοῦφα
Αὐτοῖσι πετάλοισι, τὰ κύδιμος Ἀργειφόντης
Ἔσπασε Πιερίηθεν ὁδοιπορίην ἀλεείνων
Οἷα τ' ἐπειγόμενος δολιχὴν ὁδὸν, αὐτοπρεπὴς ὥς.

Vs. 84. 85. αὐτοῖσι - ἀλεείνων cum 86. manifesta Grammatici interpretatio. Nempe σάνδαλα κοῦφα ex vs. 83. explicare voluit, quae legenti forte moram iniicere possent, quandoquidem vs. 79. sandalia abiecerat Mercurius. Post vs. 83. igitur subiecit inepte vs. 86: *Frondes leues plantis subnectit, quomodo* (οἷα τε) *subnectere solet, qui longum iter accelerare molitur*. Hom. Od. β, 97. μίμνετ' ἐπειγόμενοι τὸν ἐμὸν γάμον. cf. Od. τ, 142. ω, 131. Thucyd. VIII. ἐπειγομένων αὐτῶν τὸν πλοῦν. — αὐτοπρεπὴς ὥς, sordidum ac putre textus vlcus. Coniicio: αὐτόμολος ὥς, quoad sententiam, vt

 opinor,

opinor, loco satis accommodate. Adscriptum fuisse in marg. *αὐτόπρεμν' ὥς* conj. Ill. Heyne.

Vs. 92. 93.

Καί τε ἰδὼν, μὴ ἰδὼν εἶναι, καὶ κωφὸς, ἀκούσας
Καὶ σιγᾶν, ὅτε μή τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ.

Primo in Mercurii cum sene confabulatione ante ea, quae apposui, intercidisse nonnulla probabile sit, nisi vultum Dei corporisque gestum sermonis nimiam brevitatem hoc loco, vt in aliis antiquorum carminum pluribus, compensauisse, tibi persuadeas. Deinde in laudatis versibus turbatam orationem esse, quis non videt? *καί τε*, particularum coniunctio insolens; nec intelligo, quid illud sit, *μὴ ἰδὼν εἶναι*. Denique *ὅτε μὴ* huic loco minus aptum. Occurrit quidem ap. Hom. Il. *ν*, 319, sed ibi pro *εἰ μὴ* dictum reperias, quod h. l. durum. Legendum puto:

Καί τοι ἰδὼν μὴ ἰδεῖν, εἶναι καὶ κωφὸς, ἀκούσας,
Καί σιγᾶν ποτὲ, μή τι καταβλάπτῃ τὸ σὸν αὐτοῦ.

Sic partes et membra orationis sibi optime respondent, atque hic sensus exit: *Quamuis videris me, fac te non vidisse; quamuis de furto audieris, fac surdum te esse; ac si quando interrogatus fueris, silere memento, ne credita tibi euulgando, poenae obnoxius fias, adeoque tibi ipse mali quid consciscas.* In *εἶναι*, *ἰδεῖν* et *σιγᾶν* ellipsin *τοῦ μέμνησο*, poetis maxime sollemnem, latere, per se patet. Particulam *ποτὲ* eo sensu venire, quo h. l. vtimur, multa exempla docebunt: v. Od. *β*, 144. *γ*, 216. *ϑ*, 567. *τ*, 581.

Vs. 97. 98.

Ὀρφναίη δ' ἐπίκουρος ἐπαύετο δαιμονίη Νὺξ
Ἡ πλείων, τάχα δ' ὄρϑρος ἐγίγνετο δημιοεργός.

Nox in *tres* partes diuidebatur; *vltimam* h. l. intellige; hinc dictum: *ἡ πλείων νὺξ ἐπαύετο*; noctem enim prorsus cessisse, ne putes, vetat vs. 141. et 184, vbi, mactatis vaccis demum, Aurora prodire fingitur. Confer

ſer Homeri locum, qui huic noſtro multum lucis affundit, Il. *κ*, 251—253.

Ἀλλ' ἴομεν· μάλα γὰρ νὺξ ἄνεται, ἐγγύθι δ' ἠώς.
Ἄςρα δὲ δὴ προβέβηκε· παρῴχηκεν δὲ πλέων νὺξ
Τῶν δύο μοιράων, τριτάτη δ' ἔτι μοῖρα λέλειπται.

Vſ. 99. 100.

Ἡ δὲ νέον σκοπιὴν προσεβήσατο δῖα Σελήνη
Πάλλαντος θυγάτηρ, Μεγαμηδείδαο ἄνακτος

Verſus hos eiiciendos cenſet ill. Heynius. *Luna* ſane *Hyperionis*, non *Pallantis* filia eſt. v. Heſ. Θ. 271. Hymn. Homer. XXXII, 6. Et impedita ſunt illa: *σκοπιὴν προσεβήσατο*. Orta haud dubie interpolatio ex vſ. 141. *καλὸν δὲ φόως ἐπέλαμπε Σελήνη.*

Vſ. 188.

ἔνθα γέροντα
ΚΝΩ'ΔΑΛΟΝ εὗρε νέμοντα παρὲξ ὁδοῦ ἕρκος ἀλωῆς.

Monſtrum lectionis, in qua explicanda interpretes fruſtra ſe torquere vides. Vt corruptam vocem *κνώδαλον* primum omittam, verba ita iungenda ſunt: *εὗρε γέροντα παρὲξ ὁδοῦ, νέμοντα ἕρκος ἀλωῆς*, *inuenit ſenem in via*, *colentem vineae ſepem*, quod poetice pro *ipſa vinea* (*ἀλωὴν* enim h. l. de *vinea* accipiendam eſſe, ex ipſis vinitoris verbis patet, v. 207. *ἔσκαπτον περὶ γουνον ἀλωῆς οἰνοπέδοιο*) dici potuit. Tum vero praeſtat legere: *δέμοντα ἕρκος ἀλωῆς*, vt ſupra iam vſ. 87. pro vulgari *δομῶν* bene a Barneſio repoſitum vides. cf. Ruhnken. V. Cel. in Ep. Cr. I, p. 31. „*Δέμων ἀλωὴν* eſt *viridarium ſepe muniens*. Infra vſ. 188. *δέμοντα παρὲξ ὁδοῦ ἕρκος ἀλωῆς*. Sic Herodotus II, 124. *ὁδὸν ἔδειμαν*, *viam munierunt*. Vide Weſſeling. ad eund. VII, 200.„ Sed, ſententia ita conſtituta, ad *γέροντα* epitheton requiritur, in *κνώδαλον* latens; ſed, vt ſit: *γέροντα λίην προβεβηκότα, οἷον κινώπετόν τι*, ſicut Barneſius coniecit, vix ac ne vix quidem mihi perſuadere queo. Nimis ridicula eſſet boni ſenis cum beſtia comparatio. Quocirca, retenta vulgari lectione *νέμοντα*, audacius paulo coniecerim:

'ΙΚΜΑ'ΔΑ *εὗρε νέμοντα παρὲξ ὁδοῦ ἕρκος ἀλωῆς*

ἰκμὰς, *humor* h. l. pro *aqua* (quemadmodum Latinis dicitur *humor*, v. c. Virg. Georg. I, 43. montibus humor liquitur.) Hom. Il. ρ, 302. *ἄφαρ δέ τε ἰκμὰς ἔβη, δύνει δέ τ' ἀλοιφή*. Ariſtoph. Nub. 233. translate: *ἕλκει* (*γῆ*) *πρὸς αὑτὴν τὸν ἰκμάδα τῆς φροντίδος*. *Νέμειν ἰκμάδα diſtribuere aquam*; nempe cum *ſcrobes fodiendo* (cf. v. 207.) effeciſſet ſenex, vt aqua e vineto deflueret, eam in riuulos illos velut *diſtribuit*. Hac vero *diſtribuendi* notione *νέμειν* paſſim venire apud poetas, nota res. v. Hom. Od. ο, 140. *πὰρ δὲ Βοηθοίδης κρέα δαίετο, καὶ νέμε μοίρας*. Verba in hunc ordinem cogas: *εὗρε γέροντα* (*κατὰ*) *ἕρκος ἀλωῆς, νέμοντα ἰκμάδα παρὲξ ὁδοῦ*: inuenit ſenem prope vineae ſeptum, aquae ad viam, ſepto praetentam, inclinandae intentum.

Vſ. 259.

ἀλλ' ὑπὸ γαίῃ
'Ερρήσεις, ὀλίγοισιν ἐν ἀνδράσιν ἡγεμονεύων

Quo ſenſu dicta haec ſint, non aſſequor. *ἐῤῥήσεις* inſuper forma inuſitata. Receptae poetis ſunt: *ἔῤῥε*. Hom. Il. ϑ, 164. Od. κ, 75. Hymn. in Mercur. 160. Theocr. XX, 2. et *ἔῤῥειν* Callim. in Del. 130, vt radix ſit *ἔῤῥω*, non *ἐῤῥέω*, etſi non negauerim, plures eiusdem verbi, vt in aliis innumeris, eſſe potuiſſe formulas. Veram igitur lectionem hanc fuiſſe coniicio:

ἀλλ' ὑπὸ γαίῃ
'Ερρεῖς, ὀλλυμένοισιν ἐν ἀνδράσιν ἡγεμονεύων

Hom. Il. ϑ, 202. *οὐδέ νύ σοί περ 'Ολλυμένων Δαναῶν ὀλοφύρεται ἐν φρεσὶ θυμός*; vt *ἄνδρες ὀλλύμενοι* pro *vmbris* dicti ſint. Ita in nobili illo loco Od. λ, 40. 41. inter ceteras vmbras inducuntur: *πολλοὶ δ' οὐτάμενοι χαλκήρεσιν ἐγχείῃσιν Ἄνδρες ἀρηΐφατοι, βεβροτωμένα τεύχε' ἔχοντες*. Tota vero ſententia poetam ad notum illud Mercurii *ψυχοπομποῦ* munus alluſiſſe, quem fugit?

Vſ. 266.

Οὐκ ἐμὸν ἔργον τοῦτο, πάρος δέ μοι ἄλλα μέμηλεν.

Nec inconcinnum foret, ſi ita ſcripſiſſet poeta:

Οὐκ ἐμὸν ἔργον τοῦτο, πάρα δέ μοι ἄλλ', ἃ μέμηλεν.

πάρα pro πάρεστι. cf. Hom. Il. ε, 603. υ, 98. Syllaba ρα ob caeſuram producitur.

Vſ. 290 — 292.

Ἐκ λίκνου κατάβαινε, μελαίνης νυκτὸς ἑταῖρε.
Τοῦτο γὰρ οὖν καὶ ἔπειτα μετ' ἀθανάτοις γέρας ἕξεις.
Ἀρχὸς Φιλητέων κεκλήσεαι ἤματα πάντα.

Duo extremi verſus vix commodo loco reperiuntur. Multo aptius poſt v. 285. vel 288. reponerentur.

Vſ. 317 — 321.

Αὐτὰρ ὁ τέχνῃσίν τε καὶ αἱμυλίοισι λόγοισιν
Ἤθελεν ἐξαπατᾷν Κυλλήνιος Ἀργυρότοξον.
Αὐτὰρ ἐπεὶ πολύμητις ἐὼν πολυμήχανον εὗρεν,
Ἐσσυμένως δὴ 'πειτα διὰ ψαμάθοιο βάδιζε
Πρόσθεν, ἀτὰρ κατόπισθε Διὸς καὶ Λητοῦς υἱός

Verſus medium in his locum obtinens: αὐτὰρ ἐπεὶ — εὗρεν, eſt e margine. Et habet artificioſi ac ieiuni neſcio quid, a liberiori antiqui poetae ſenſu alieniſſimum; vt αὐτὰρ ex v. 317. languide repetitum omittam.

Vſ. 324.

Κεῖθι γὰρ ἀμφοτέροισι δίκης κατέκειτο τάλαντα.

Gloſſam, etſi egregiam, forte ex alio carmine chartis illitam, facile h. l. agnoſcas.

Vſ. 325. 326.

Εὐμυλίη δ' ἔχ' Ὄλυμπον ἀγάννιφον, ἀθάνατοι δὲ
Ἄφθιτοι ἠγερέθοντο ποτὶ πτύχας Οὐλύμποιο

Pleonaſmus vix ferendus: ἀθάνατοι ἄφθιτοι. Quid? ſi legamus: ἀθρόοι ἠγερέθοντο π. πτ. O. Hom. Od. β, 392. περὶ δ' ἐσθλοὶ ἑταῖροι Ἀθρόοι ἠγερέθοντο, ω, 467. ἀθρόοι ἠγερέθοντο πρὸ ἄστεος εὐρυχόροιο. Eamdem vim alibi habet vox ἀολλέες cum ἠγερέθοντο ſaepiſſime iuncta ab Homero. v. Il. ψ, 233. Od. γ, 412. λ, 227, — At pro corrupta voce εὐμυλίη, quae nullum

nullum ſenſum habet, praeclara coniectura, quam lectoribns nolui inuidere, Ill. HEYNIVS reponi vult: *αἰμυλίη*, *feſtiuitas Olympum tenuit*, h. Dii omnes laeti affluebant, gnari nempe lepidi a iuuenili Deo commiſſi furti.

Vſ. 360. 361.

πολλὰ δὲ χερσὶν
Αὐγὰς ὠμάρταζε, δολοφροσύνην ἀλεγύνων,

Locus manifeſte corruptus. Erneſtius quidem ad ſenſum bene vertit: *manibus oculos fricabat*; ſed tamen e verbis poetae, vt illa nunc ſunt, ſententiam hanc vix exſculpas. Librorum auxiliis deſtitutus, coniectura quadam corruptelae mederi tentaui. Mecum igitur legas:

πολλὰ δὲ χερσὶν
Αὐγαῖς θ' ὧδ' ἄρταζε δολοφροσύνην ἀλεγεινὴν

multum (ſaepe) *manibus oculisque tales fallacias ac fraudes inſidioſas ſtruxit*, h. ita toto corpore ſe geſſit, vt doloſam fraudulentamque mentem facile proderet. ἀρτάζω, thema ἄρω, cuius plures reperiuntur formae: ἀρτάω, ἀρτέω, ἀρτίζω, ἀρτύω; ineſt generalis notio *parandi* ac *ſtruendi* omnibus. Nec refrager, ſi pro ἄρταζε malis legere, ἄρτιζε, cf. doctam Abreſchii notam ad Aeſchyl. Prom. 717, inſertam praeclaro Schützii V. Cel. commentario, p. 129. 130. Alteram mutationem ἀλεγεινὴν aliquantum firmare videtur lectio Mſc. Reg. ἀλεγείνων a Ruhnkenio prolata. Vt loci ita refecti ſententiam melius capias, conferendi ſunt vſ. 278, 279, 305 et 240. Illud ὧδε vero, ſi *cum geſtu* dictum eſſe reputes, non exiguam vim habere, mihi largiaris. cf. Il. γ, 224. λ, 764. 784.

Vſ. 374. 375.

Πολλὰ δέ μ' ἠπείλησε βαλεῖν ἐς Τάρταρον εὐρὺν,
Οὕνεχ' ὁ μὲν τέρεν ἄνθος ἔχει φιλοκυδέος ἥβης.

Extremus verſus cum antecedente male coit. Aut igitur abſolute accipiendus, et poſt εὐρὺν interpungendum;

dum; aut lacuna hic est, nam in vs. 375. *minarum* caussam vix reperias. Sed verisimillima ratio est, v. 374 spurium esse.

Vs. 393.

Καὶ δεῖξαι τὸν χῶρον ἐπ' ἀβλαβίῃσι νόοιο

Ex antiquo sermonis genio dictum hoc puta, pro: *σὺν νόῳ ἀβλαβεῖ.* Simili prorsus modo Theognis Vs. 410. *ὑπερτερίης δ' ἄμμιν ἔνεστι νόος* p. *νοῦς ὑπέρτερος* ἐ. ἀ. cf. V. Cel. Brunk. ad h. l.

Vs. 396.

Ῥηϊδίως γὰρ ἔπειθε Διὸς νόος αἰγιόχοιο.

Glossam enarratoris hanc esse nemo dubitet.

Vs. 418 — 426.

λύρην δ' ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς
Πλήκτρῳ ἐπειρήτιζε κατὰ μέρος· ἡ δ' ὑπὸ χειρὸς
Σμερδαλέον κονάβησε. γέλασσε δὲ Φοῖβος Ἀπόλλων
Γηθήσας, ἐρατὴ δὲ διὰ φρένας ἤλυθ' ἰωὴ
Θυμῷ ἀκουάζοντα· λύρῃ δ' ἐρατὸν κιθαρίζων,
Στῆ ῥ' ὅγε θαρσήσας ἐπ' ἀριστερὰ Μαιάδος υἱὸς
Φοίβου Ἀπόλλωνος· τάχα δὲ λιγέως κιθαρίζων
Γηρύετ' ἀμβολάδην, ἐρατὴ δέ οἱ ἕσπετο φωνή,
Κραίνων ἀθανάτους τε θεοὺς καὶ γαῖαν ἐρεμνὴν

Totus hic locus Graeculorum immodicam in variandis amplificandisue poetarum sententiis ac verbis licentiam, si quis alius, prodit. Etenim vt vs. 422-25, *θυμῷ — ἕσπετο φωνή*, pro germano poetae partu habeam, nunquam a me impetraueris. Facile est in his deprehendere variorum in pangendis versibus conamina, quibus librariorum stupore pulcerrimum carmen inquinatum vides. Quoad sententiam fere omnes repetiti sunt ex ancedentibus vs. 418-21. Quid? quod alio insuper, etsi bonae notae, versu beat nos Cod. Moscov. in quo post v. 421. haec leguntur:

Θεσπεσίης ἐνοπῆς· καί μιν γλυκὺς ἵμερος ᾕρει.

Mecum igitur verba illa v. 421. *ἐρατὴ δὲ διὰ φρένας ἤλυθ' ἰωή*, statim iungas cum v. 426: *κραίνων ἀθανά-*

τους

τες κ. τ. λ. ſed ita, vt κραίνων ad Mercurium referas, adeoque totum hunc locum inde a vſ. 419. ἡ δ' ὑπὸ χειρὸς etc. vsque ad finem vſ. 421. ἤλυθ' ἰωὴ parentheſi includas. De voce κραίνων v. Erneſtii notam. Interea ex v. 423. στῆ ὄγε — ἐπ' ἀριστερὰ Μαιάδος υἱὸς coniicio, in priori huic ſimili verſu 418. pro recepta ἐπ' ἀριστερὰ χειρὸς, germanam ſcripturam fuiſſe: ἐπ' ἀριστερὰ στήσας. Lectionis vulgatae originem facillimo negotio detegas, ſi verſum ſequentem (419) eadem voce finiri reputes, adeo, vt librarii oculus ad verſum hunc facile aberrare potuerit — Ad vſ. 426 ſqq. cf. Apollon. Rh. I, 496 ſqq. Solemne hoc antiquiſſimorum carminum argumentum fuiſſe, vbique edocemur.

Vſ. 429.

Μητέρα Μουσάων· ἡ γὰρ λάχε Μαιάδος υἱόν

Haud dubie ex marginali nota in textum verſus hic immigrauit; altera pars: ἡ γὰρ — υἱὸν, ſerius adſuta. λάχε ex vſ. 427. καὶ ὡς λάχε μοῖραν ἕκαστος, repetitum.

Vſ. 452. 453.

Ἀλλ' οὔπω τί μοι ὧδε μετὰ φρεσὶν ἄλλο μέλησεν
Οἷα νέων θαλίης' ἐνδέξια ἔργα πέλονται.

Verſus transpoſitos eſſe ſuſpicor. Praeceſſerant χοροὶ, μολπὴ, βρόμος αὐλῶν, ſtatim ſubiungendum igitur poetae: οἷα νέων θαλίης' etc. tum ſequatur alter ille: ἀλλ' οὔπω τί μοι ὧδε μετὰ φρεσὶν ἄλλο μέλησεν.

Vſ. 471.

Σοὶ δ' αὐτάγρετόν ἐστι δαήμεναι, ὅττι μενοινᾷς

Eiiciendus verſus hoc loco. Redit v. 486. loco commodiori. A corrupto verſu 470. καὶ νῦν αὐτὸς ἐγὼ παῖδ' ἀφνειὸν δεδάηκα, emendando prorſus abſtineo. Poſſis forte coniicere, in παῖδ' ἀφνειὸν latere Apollinis Δαφναίου cognomen, ſed ad totam ſententiam intelligendam vel ſic nihil profeceris. Delendum eſſe verſum hunc, nullus dubito.